S.C.10.Pl.6.

37
15 B
3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F. THOMAE VINCENTII
M O N E L I A E
F L O R E N T I N I
Ordinis Praedicatorum

IN COLLEG. S. MARCI S. THEOLOG. PRIM. PROFESSORIS

D E

ANNIS JESU CHRISTI
S E R V A T O R I S,
E T
D E R E L I G I O N E
UTRIUSQUE PHILIPPI AUG.
DISSERTATIONES DUAE.




R O M A E

Ex Novo Typographio Paleariniano.

ANNO REP. SAL. cIↄ. Iↄ. cc. xli.

PUBLICA AUCTORITATE.

Digitized by Google



REGIAE CELSITUDINI

SERENISSIMI

FRANCISCI III.

LOTHARINGIAE ET BARRI DUCIS,

Magni Ducis Etruriae, Regis Jeroſolymorum &c. &c. &c.

PRINCIPIS SUI CLEMENTISSIMI,

AUCTOR OBSEQUENTISSIMUS.

TUUM eſt quod REGIAE TUAE CELSITUDINI nuncupo, Tuiſque auſpiciis edo, PRINCEPS CLEMENTISSIME, qualecumque hoc Opus, utpote ab Etru-

Digitized by Google

ſco homine pro Chriſtiana Religione illuſtranda elucubratum. Ex nata enim altaque in Tuo ſolo arbore fructus decerpti jure Tibi ſunt exhibendi, praeſertim quod nihil antiquius habeas iis quae optimarum artium, Religionis autem maxime ſtudia ſpectant. Tibi vero debemus quod omnibus in patria noſtra pacatis, difficillimis quamquam temporibus, ſub mitiſſimo Imperio Tuo, alta tranquillaque pace fruamur, qua nihil, cum hominibus & ſocietatibus cunctis, tum vero maxime muſarum cultoribus, eſt magis accommodatum. Ut enim litterae jacent in ſqualore & ſordibus, frigent exulantve acciſis rebus, atque turbulentiſſimis civitatum temporibus inter armorum bellorumque ſtrepitus; ita parta ubique pace atque ſecuritate, earumdem litterarum, & quae illis longe antecellunt verae pietatis ſtudia, aut florere pergunt, aut intermortua in lucem revocantur. Cum autem hic de Chriſtianae Religionis origine, ritibus, ejuſque Divini Auctoris auſpicatiſſimis temporibus perſaepe agatur; ac praeterea de Divini cultus amplificatione in Imperio Romano, inflictiſque ſupremis vulneribus nefariae Ethnicorum ſuperſtitioni, poſtquam Romani Principes Chriſti ſacris ſunt initiati, neminem fugit haec ad Te, OPTIME PRINCEPS, maxime pertinere: nec dubito quin rem admodum gratam REGIAE CELSITUDINI TUAE feciſſe vide-

videri poſſim, quod animum adpulerim ad eas res vindicandas, ac pro virili parte exornandas, quas maximopere colis. Neque enim ab ultima antiquitate repetenda ſunt egregia Majorum Tuorum in Chriſtianam Rempublicam merita; actumque agere videretur qui perſequi vellet quae illi fortiter geſſerunt pro ea aſſerenda atque amplificanda. Quotus enim quiſque eſt, niſi prorſus ſit rudis & in Hiſtoria hoſpes qui haec ignoret, quando pleni omnes ſunt libri, plena exemplorum vetuſtas? Verum in Te ſtupore perculſus ſuſpicit Chriſtianus orbis illuſtria Regiae praeſtantiſſimae Gentis facinora nova praeclare geſtorum acceſſione locupletata, cum non ita pridem Thracibus Chriſtianorum cervicibus imminentibus, quorum impetum vix munitiſſimae Daciae & Pannoniae arces infringere pares erant, Regium caput cum SERENISSIMO CAROLO LOTARINGO Germano Fratre, ſtrenue pugnans objeciſti, paratus ad ſubeundum quodvis diſcrimen pro Chriſtiani populi incolumitate, & ad vitam quoque, ubi opus fuiſſet, cum ſanguine profundendam, immortali ſane ob egregiam animi conſtantiam atque pietatem nominis gloria. Haec dum mente verſarem, atque intelligerem ne Regium quidem Thalamum Aulaeve illecebras impedimento fuiſſe, quominus afflictis Chriſtiani populi rebus praeſentem opem ferres, quod patrum etiam noſtrorum me-

mo-

Digitized by Google

moria praeſtitit CAROLUS ille inviĉtiſſimus Avus Tuus Romani Imperii, & Eccleſiae propugnaculum, operae pretium me factuгum exiſtimavi ſi quid REGIAE CELSITUDINI TUAE exhiberem, quod Eidem cum primis pergratum foret, a meae autem vitae inſtituto non abhorreret; quod hujuſmodi Libellum, tametſi minus dignum Tanto Principe munus, animi certe obſequentiſſimi monumentum, ob ea de quibus ſermo inſtituitur, futurum plane confido. Etenim Auctoris, ſtili, tricarumque Chronologicarum ruditatem atque moleſtiam abſterſuram eſſe rerum de quibus diſceptatur dignitatem pro certo habeo, ſi quando ſubſciſivis horis in haſce Diſſertationes *de Annis Jeſu Chriſti Servatoris*, & *de Religione utriuſque Philippi Auguſti*, oculos conjeceris. An autem quae ad incudem revocare atque adjicere auſus ſum eruditiſsimorum hominum luculentiſſimis Operibus veluti lacinias quaſdam Tyriae purpurae adſutas, ſubacto ingenio viris adprobaturus ſim, ſententiam illi ferent; Tu vero maxime, qui potes de ingeniis etiam judicare. Meum profecto exiguum eſſe pro certo habeo; ſpero tamen fore ut REGIA TUA CELSITUDO boni conſulat hoc ſummae in Te obſervantiae meae monumentum, quod minime alienum eſt a Religionis & pietatis officiis. Veteres Eccleſiae ſtataſque leges rituales in peragendis

dis feſtis quibuſdam diebus ſolemnibuſque conventibus, atque adeo Evangelicam Hiſtoriam a maleferiatorum quorumdam frigidis inficetiſque argutiis vindicare, ſiquid in me eſt opis, conatus ſum, omnemque in ea re nervum intendi. Ob oculos etiam poſui, e re nata, quantum Chriſtiani cultus doctrinaeque caſtitas antecellat inſanae Ethnicorum ſuperſtitioni, provocando non raro ad profanae Hiſtoriae monumenta atque Scriptores; quorum magna eſt cum Divinis & Eccleſiaſticis conſenſio. Huc accedit non pauca petita eſſe ab Auguſtae Hiſtoriae Scriptoribus, & veterum Romanorum Imperatorum res geſtas atque Numiſmata in medium proferri: Tu vero, PRINCEPS AMPLISSIME, arctiſſima es affinitate conjunctus cum Caeſarum Maximo, Optimo, Sapientiſſimo, CAROLO AUGUSTO, qui nuptui Tibi tradidit amantiſſimam natuque maximam Filiam MARIAM THERESIAM AUSTRIACAM Etruriae noſtrae delicias atque praeſidium. Excipe igitur humanitate illa qua REGIA TUA CELSITUDO cum litterarum, tum vero maxime Chriſtianae pietatis ſtudia fovet atque complectitur, hujuſmodi Opellam, ejuſque Auctorem, qui ſumma animi obſequentiſſimi demiſſione totum Tibi ſe dedit ad pedes Tuos provolutus. Florentiae, Kalendis Sextilibus, Anno AErae Chriſtianae MDCCXL.

SYLLABUS
EORUM
Quae in hoc Opere habentur.

Tabula Chronograhica *Diſſertationi facem praeferens*. pag. IX.

Praefatio. pag. XXVII.

Caput I. *Mors Herodis Magni vocati conjicienda eſt in An. U. C. 751. circa Martii initium. Duplex Herodiani Regni epocha: de Filiorum Herodis Principatu: Nummus Antipae.* pag. 1.

Caput II. *De Cyrini Deſcriptione, ejuſque tempore. Syriae Praeſides: Jani templum ab Auguſto clauſum: Tertulliani locus contra Marcionem. Natus videtur J. Chriſtus potius Anno U. C. 749. quam An. U. 748.* pag. 15.

Caput III. *Caedes Bethlehemitica conſignanda eſt Anno U. 751. circa Martii initium, paullo ante Herodis mortem; prima vero phaſis novae ſtellae a Magis ſpectatae biennio fere ante, An. U. 749. menſe Martio, in Evangeliſmo Deiparae & Divini Verbi Incarnatione; eodemque Anno U. C. 749. menſe Decembri natus eſt Chriſtus.* pag. 29.

Caput IV. *Illud veriſimillimum videtur, J. Chriſtum Anno vulgari XXVIII. ineunte Baptiſmo eſſe perfuſum, & I. poſt Baptiſmum Paſcha celebraſſe: An. XXIX. Paſcha II. poſt Baptiſmum: Anno XXX. Paſcha III. idque ſupremum; eodemque anno crucis ſupplicio affectum fuiſſe.* pag. 50.

Caput V. *Confirmantur quae ſuperiore Capite tradita ſunt.* pag. 61.

TA-

T A B U L A
CHRONOLOGICA

Facem praeferens Diſſertationi de Annis Chriſti.

Anni Urbis Romae a *Fabio Pictore* uſurpati in Annalibus inchoantur Olympiadis VIII. Anno I. Anni Urbis *Capitolini* adhibiti a Verrio Flacco in Faſtis Capitolinis, ineunt Olympiadis VI. An.IV. Anni *Varroniani* Urbis, qui magis frequentes, & quibus vulgo Romani uſi ſunt in publicis monumentis, proficiſcuntur ab Olympiadis ejuſdem VI. Anno III. deſinente. Roma enim condita fuit XI. Kal. Maii ex communi ſententia in Paliliis in Anno Juliano proleptico. Si enim ſermo ſit de priſco Anno, quo tum utebantur Latini veteres, difficile foret inveſtigare diem ac menſem Romae conditae, & Palilii. Annus aerae noſtrae vulgaris eſt ab Urbe Roma Condita 754.

An. U. C. 442. Per. Jul. 4402. Olymp. 117. I. ante Aeram Chriſtianam 312.

Epocha Syro-Macedonum & Edeſſenorum hoc anno inchoatur Autumno. AEra eſt Seleucidarum, & Dilkarnaim. Auctor L. 1. Machabaeorum eam orditur a menſe Niſan, hujus anni, poſterior a Tiſri.

An. U. C. 690. P. J. 4650. Ol. 179. I. A. AE. Chr. 64.

Coſs. { L. Julius Caeſar.
C. Marcius Figulus.

Pompejus Syriam occupat & in formam provinciae redigit.

An. U. 691. P. J. 4651. Ol. 179. II. A. AE. Chr. 63.

Coſs. { M. Tullius Cicero.
C. Antonius.

Jeroſolyma capta a Pompejo cum Templo, menſe Tertio, die jejunii. Naſcitur C. Octavius, poſtea Imp. Auguſtus.

An. U. 706. P. J. 4666. Ol. 183. I. A. AE. Chr. 48.

Coſs. { C. Julius Caeſar II.
P. Servilius Vatia Iſauricus.

Herodes Antipatri filius Aſcalonita, & Magnus vocatus poſtea Rex Judaeorum, Galilaeae praeficitur ab Antipatro ob Hyrcani tarditatem, annos natus XXV. non vero XV. ut ex corrupto Flavii Joſephi loco nonnulli ſentiunt. Pugna Pharſalica; Pompejus ab J. Caeſare victus.

An. U. 707. P. J. 4667. Ol. 183. II. A. AE. Chr. 47.

Coſs. { C. Julius Caeſar Dictator II.
M. Antonius Magiſter Equitum.

Ab hoc anno circa Kalendas Octobris coepit Annus *Confuſionis* vocatus dierum 445.

An. U. 709. Juliano 1. P. J. 4669. Ol. 183. IV. A. AE. Chr. 45.

Coſs. { C. Julius Caeſar Dictator IV.
M. AEmilius Lepidus Mag. Equitum.

Primus eſt annus Julianae ordinationis, ſublata labe ope Soſigenis cujus opera uſus eſt J. Caeſar in Aſtronomicis, ut Flavii Scribae in Faſtis ordinandis.

An. U. 710. J. 2. P. J. 4670. Ol. 184. I. Auguſti I. A. AE. Chr. 44.

Coſs. { C. Julius Caeſar Dictator V.
M. Antonius Mag. Equitum.

C. Julius Caeſar vulneribus in Curia confoſſus perit Idibus Martiis: C. Octavius J. Caeſaris ex Sorore Nepos, Caeſaris nomen ſibi adſciſcit. Ab hoc anno & nece J. Caeſaris Scriptores vulgo auſpicantur Auguſti Imperium ejuſque annos: neque aliter intelligendi qui qui J. Chriſtum natum contendunt Ann. Auguſti 41. 42. 43. Nulla hoc anno contigit ſolaris Eclipſis.

An. U. 711. J. 3. P. J. 4671. Ol. 184. II. Auguſti 2. A. AE. Chr. 43.

Coſs.

Coſs. { C. Vibius Panſa. Suffecti { C. Octav. Caeſ. A. Hirtius. Q. Pedius.

Octavius, Antonius, & Lepidus Reipublicae conſtituendae in quinquennium V. Kal. Decembr. Hinc quibuſdam initium imperii Augusti.

An. U. 712. J. 4. P. J. 4672. Ol. 184. III. Aug. 3. A. AE. Chr. 42.

Coſs. { M. AEmilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.

Annus Julianus ob intercalationem turbatur. Bellum contra Caſſium & Brutum praecipuos auctores necis J. Caeſaris in Campis Philippicis Macedoniae. Tiberius hoc fere tempore naſcitur.

An. U. 713. J. 5. P. J. 4673. Ol. 184. IV. Aug. 4. A. AE. Chr. 41.

Coſs. { L. Antonius. P. Servilius Iſauricus

Octavius Caeſar in Italia, M. Antonius in Aſia, & AEgypto. Bellum in Italia gerit L. Antonius Conſul cum Caeſare qui Romam occupat. Legati Judaeorum conveniunt M. Antonium accuſaturi Herodem, quod regem ageret, relicto Hyrcano Regi ſolo nomine. Herodi tamen favet Antonius.

An. U. 714. J. 6. P. J. 4674. Ol. 185. I. Aug. 5. Herodis I. A. AE. Chr. 40.

Coſs. { Cn. Domitius Calvinus. C. Aſinius Pollio.

Bellum inter M. Antonium, & Caeſarem Octav. Foedus ſancitum inter eos qui ovantes Romam ingrediuntur, anno cadente. Pacorus Regis Parthorum filius bellum in Syria movet, & opem fert Antigono contra Hyrcanum. Antigonus expugnatis Jeroſolymis Regnum eripit Hyrcano. Herodes Magnus Rex Romae inauguratur anno in finem vergente: Prior epocha Regni Herodiani.

An. U. 715. J. 7. P. J. 4675. Ol. 185. II. Aug. 6. Herodis 2. A. AE. Chr. 39.

Coſs. { L. Martius Cenſorinus.
C. Calviſius Sabinus.

M. Antonius in Graeciam venit meditans expeditionem in Parthos. Parthi a Ventidio fuſi, qui Syriam relictam recipit, & in Judaeam ſe confert. Antigonus Maſſadam oppugnat.

An. U. 716. J. 8. P. J. 4676. Ol. 185. III. Aug. 7. Herodis 3. A. AE. Chr. 38.

Coſs. { Appius Claudius Pulcher
C. Norbanus Flaccus.

Pacorus filius Orodis Regis Parthorum cum ſuis occiſus. Herodes Maſſadam liberat & propinquos domeſticoſque ſuos in ea obſeſſos. Soſius Syriae praeeſt.

A. U. 717. J. 9. P. J. 4677. Ol. 185. IV. Aug. 8. Herodis 4. & 1. A. AE. Chr. 37.

Coſs. { M. Vipſanius Agrippa.
L. Caninius Gallus.

M. Antonius Samoſata potitur. Herodes pulſis Antigonianis Galilaeam recipit: obſidet cum Soſio Jeroſolyma, eaque expugnat. Mariamnes & Herodis nuptiae. Antigonus Haſamonaeorum Principum ultimus necatur. Altera Herodiani Regni epocha.

A. U. 718. J. 10. P. J. 4678. Ol. 186. I. Aug. 9. Herodis 5. & 2. A. AE. Chr. 36.

Coſs. { L. Gellius Publicola.
M. Cocceius Nerva.

Hyrcanus in Judaeam redit, & honorifice ab Herode excipitur.

A. U. 719. J. 11. P. J. 4679. Ol. 186. II. Aug. 10. Herodis 6. & 3. A. AE. Chr. 35.

Coſs. { L. Cornificius.
Sextus Pompejus.

Herodes Pontificatu auget Ariſtobulum Mariamnes fratrem, quem ſuffocandum curat decem & octo annos natum.

A. U. 720. J. 12. P. J. 4680. Ol. 186. III. Aug. 11. Herodis 7. & 4. A. AE. Chr. 34.

Coſs.

Digitized by Google

Coſs. { M. Antonius II.
L. Scribonius Libo.

An. U. 721. J. 13. P. J. 4681. Ol. 186. IV. Aug. 12. Herodis 8. & 5. A. AE. Chr. 33.

Coſs. { Auguſtus Caeſar II.
L. Volcatius Tullus.

An. U. 722. J. 14. P. J. 4682. Ol. 187. I. Aug. 13. Herodis 9. & 6. A. AE. Chr. 32.

Coſs. { Cn. Domitius Ahenobarbus.
Cajus Soſius.

An. U. 723. J. 15. P. J. 4683. Ol. 187. II. Aug. 14. Herodis 10. & 7. A. AE. Chr. 31.

Coſs. { Auguſtus Caeſar III.
M. Valerius Meſſala.

Pugna Actiaca inter Caeſarem & M. Antonium IV. Non. Septembr. Victor Caeſar & Monarcha, cum Lepidus ante hac omni auctoritate exutus ſit. Hinc Anni Actiaci & Monarchia Auguſti quadraginta quatuor annorum apud plures: hinc quoque aera Antiochena in variis Syriae Praeſidum nummis, ut Vari, & Silani ducit exordium. L. Calpurnius Bibulus Syriae Praeſes obit provinciam adminiſtrans, eumque excipit Q. Didius. Victi Antonius, & Cleopatra in AEgyptum fugiunt.

An. U. 724. J. 16. P. J. 4684. Ol. 187. III. Aug. 15. Herodis 11. & 8. A. AE. Chr. 30.

Coſs. { Auguſtus Caeſar IV.
M. Licinius Craſſus.

Antonius & Cleopatra mortem ſibi conſciſcunt. Caeſar Alexandria potitur menſe Sextili Auguſto vocato. Nova epocha Imperii Auguſti, & annor. Auguſtorum apud AEgyptios. Herodes, cum prius juſſiſſet interfici Hyrcanum Antoniique partes ſequutus fuiſſet, Caeſarem Rhodi convenit, & ab eo in Regno confirmatur. Auguſtus in Syriam proficiſcitur.

An.

An.U. 725. J. 17. P.J. 4685. Ol. 187. IV. Aug. 16. Herodis 12. & 9. A. AE. Chr. 29.

Coſs. { Auguſtus Caeſar V.
Sextus Appulejus.

Ara Victoriae in Curia dedicatur. Jani fores tertium ab Urbe Roma condita clauduntur, ſed ab Auguſto primum.

An.U. 726. J. 18. P.J. 4686. Ol. 188. I. Aug. 17. Herodis 13. & 10. A. AE. Chr. 28.

Coſs. { Auguſtus Caeſar VI.
M. Vipſanius Agrippa II.

Primum Auguſti luſtrum ex Tabulis Ancyranis.

An. U. 727. J. 19. P.J. 4687. Ol. 188. II. Aug. 18. Herodis 14. & 11. A. AE. Chr. 27.

Coſs. { Auguſtus Caeſar VII.
M. Vipſanius Agrippa III.

Auguſti nomen aſſumit Caeſar.

An. U. 728. J. 20. P.J. 4688. Ol. 188. III. Aug. 19. Herodis 15. & 12. A. AE. Chr. 26.

Coſs. { Auguſtus Caeſar VIII.
T. Statilius Taurus II.

An. U. 729. J. 21. P.J. 4689. Ol. 188. IV. Aug. 20. Herodis 16. & 13. A. AE. Chr. 25.

Coſs. { Auguſtus Caeſar IX.
M. Junius Silanus.

Jani fores quartum clauſae ab Urbe condita, ſed ab Auguſto iterum.

An. U. 730. J. 22. P.J. 4690. Ol. 189. I. Aug. 21. Herodis 17. & 14. A. AE. Chr. 24.

Coſs. { Auguſtus Caeſari X.
C. Norbanus Flaccus.

An. U. 731. J. 23. P.J. 4691. Ol. 189. II. Aug. 22. Herodis 18. & 15. A. AE. Chr. 23.

Coſs. { Auguſtus Caeſar XI.
Cn. Calpurnius Piſo.

M. Vipſanius Agrippa Syriae praeficitur.

An. U. 732. J. 24. P.J. 4692. Ol. 189. III. Aug. 23. Herodis 19. & 16. A. AE. Chr. 22.

Coſs.

Coſs. { M. Claudius AEſerinus.
L. Arruntius.

Varro Syriae Praeſes.

An. U. 733. J. 25. P. J. 4693. Ol. 189. IV. Aug. 24. Herodis 20. & 17. A. AE. Chr. 21.

Coſs. { Q. AEmilius Lepidus.
M. Lollius.

An. U. 734. J. 26. P. J. 4694. Ol. 190. I. Aug. 25. Herodis 21. & 18. A. AE. Chr. 20.

Coſs. { M. Appulejus Nepos.
P. Silius Nerva.

Auguſtus in Syriam proficiſcitur. Naſcitur Cajus Juliae & Agrippae filius.

An. U. 735. J. 27. P. J. 4695. Ol. 190. II. Aug. 26. Herodis 22. & 19. A. AE. Chr. 19.

Coſs. { Q. Lucretius Veſpillo.
C. Sentius Saturninus.

Circa Paſcha hujus anni labebatur annus Regni Herodis a nece Antigoni XVIII. ac tum ponimus initium inſtaurationis Templi.

An. U. 736. J. 28. P. J. 4696. Ol. 190. III. Aug. 27. Herodis 23. & 20. A. AE. Chr. 18.

Coſs. { P. Cornelius Lentulus Marcellinus.
Cn. Cornelius Lentulus.

An. U. 737. J. 29. P. J. 4697. Ol. 190. IV. Aug. 28. Herodis 24. & 21. A. AE. Chr. 17.

Coſs. { Cn. Furnius.
C. Junius Silanus.

Anno hoc, vel ſuperiori, Herodes tranſmiſſo mari primam navigationem in Italiam iterque inſtituit, poſtquam rex fuerat jamdiu inauguratus. Auguſtus Ludos Seculares Quintos ab Urbe Condita edit.

An. U. 738. J. 30. P. J. 4698. Ol. 191. I Aug. 29. Herodis 25. & 22. A. AE. Chr. 16.

Coſs. { L. Domitius Ahenobarbus.
P. Cornelius Scipio.

An.

An. U. 739. J. 31. P. J. 4699. Ol. 191. II. Aug. 30. Herodis 26. & 23. A. AE. Chr. 15.

Coſs. { M. Livius Druſus Libo.
L. Calpurnius Piſo.

An. U. 740. J. 32. P. J. 4700. Ol. 191. III. Aug. 31. Herodes 27. & 24. A. AE. Chr. 14.

Coſs. { M. Licinius Craſſus.
Cn. Cornelius Lentulus.

An. U. 741. J. 33. P. J. 4701. Ol. 191. IV. Aug. 32. Herodis 28. & 25. A. AE. Chr. 13.

Coſs. { Tiberius Claudius Nero.
P. Quinctilius Varus.

An. U. 742. J. 34. P. J. 4702. Ol. 192. I. Aug. 33. Herodis 29. & 26. A. AE. Chr. 12.

Coſs. { M. Valerius Meſſala Barbatus.
P. Sulpitius Quirinus.

Agrippa in Campania mortuo, Tribunitia Poteſtas Tiberio confertur. Secunda Herodis in Italiam navigatio, cum filiis ſuis Alexandro & Ariſtobulo.

An. U. 743. J. 35. P. J. 4703. Ol. 192. II. Aug. 34. Herodis 30. & 27. A. AE. Chr. 11.

Coſs. { Paullus Fabius Maximus.
Q. AElius Tubero.

An. U. 744. J. 36. P. J. 4704. Ol. 192. III. Aug. 35. Herodis 31. & 28. A. AE. Chr. 10.

Coſs. { Julius Antonius.
Q. Fabius Maximus Africanus.

M. Titius Syriae praeerat.

An. U. 745. J. 37. P. J. 4705. Ol. 192. IV. Aug. 36. Herodis 32. & 29. A. AE. Chr. 9.

Coſs. { Nero Claudius Druſus Germanicus.
T. Quinctius Criſpinus.

M. Titio ſucceſſor mittitur Sentius Saturninus in Syriaca Praefectura. Tertia atque eadem poſtrema Herodis navigatio in Italiam.

An. U. 746. J. 38. P. J. 4706. Ol. 193. I. Aug. 37. Herodis 33. & 30. A. AE. Chr. 8.

Coſs.

Coſs. { C. Martius Cenſorinus.
C. Aſinius Gallus.

Secundum Auguſti luſtrum ex Tabulis Ancyranis, quod plurimis poſt Tertullianum fucum fecit. Saturninus Syriae praeerat. Hoc anno Kalendarium Pontificum oſcitantia turbatum Auguſtus reſtituendum curat. Erratum fuerat in intercalatione ſexto die ante Kal. Martias quarto quoque anno.

An. U. 747. J. 39. P. J. 4707. Ol. 193. II. Aug. 38. Herodis 34. & 31. A. AE. Chr. 7.

Coſs. { Tiberius Claudius Nero II.
Cn. Calpurnius Piſo.

Sub his Conſulibus Chriſtum menſe Septembri natum perperam cenſuit J. Harduinus.

An. U. 748. J. 40. P. J. 4708. Ol. 193. III. Aug. 39. Herodis 35. & 32. A. AE. Chr. 6.

Coſs. { D. Laelius Balbus.
C. Antiſtius Vetus.

Bellorum motus in Armenia, cujus regnum Artavasdi tribuit Auguſtus. Quinctilius Varus ante Autumnum Saturnino ſuccedit in Syriaca Praefectura, ut conſtat ex nummis. Antipater Herodis filius, poſt necatos fratres Alexandrum, & Ariſtobulum ſaevi parentis Herodis mandato, Romam proficiſcitur. In hunc annum conferunt natalem Chriſti diem, Keplerus, M. Antonius Cappellus, Henſchenius, Pagius, Schelſtratius, Blanchinius.

An. U. 749. J. 41. P. J. 4709. Ol. 193. IV. Aug. 40. Herodis 36. & 33. A. AE. Chr. 5.

Coſs. { Auguſtus Caeſar XII.
L. Cornelius Sulla.

Hoc anno auſpicatiſſimo Nativitatem J. Chriſti conſignant J. Dekerius, Petavius, Uſſerius, Lancellottus, Noriſius, Natalis Alexander, Tillemontius, Graveſonus, ceterique eru-

diti viri, quibus accedimus. Hoc igitur anno humano generi fauſtiſſimo DEI FILIUS INCARNATUS EST, Chriſtuſque Spiritus Sancti ope conceptus, dum Deiparam Angelus Gabriel alloqueretur, Martio menſe; ac tum novam ſtellam Magi in Oriente viderunt. Menſe Decembri, cum Maria & Joſephus deſcribendi Bethlehemum ſe contuliſſent, illic NATUS EST JESUS CHRISTUS humani generis Reparator.

Hoc pariter anno, omnibus pacatis, Auguſtus tertium clauſerat Jani aedem, ab Urbe vero condita quintum: & Quirinus Homonadenſium victor Judaeam deſcribendam curabat, jubente Caeſare.

An. U. 750. J. 42. P. J. 4710. Ol. 194. I. Aug. 41. Herodis 37. & 34. A. AE. Chr. 4.

Coſs. { Calviſius Sabinus.
Rufus, ſeu Rufinus.

Sub his Conſulibus natum Chriſtum ſenſit inter veteres Sulpitius Severus, inter recentiores Bernardus Lamius. Menſe Martio hujus anni die 12. vel 13. ut aliis videtur contigit Lunaris Eclipſis conſpicua; de qua loqui Fl. Joſephum nonnulli contendunt. Initio hujus anni J. Chriſtus circumciditur, Magi Bethlehemum ſe conferunt, Deipara quadrageſimo a divino partu die Jeroſolyma petit, & paullo poſt cum Filio, & conjuge Nazarethum revertitur.

An. U. 751. J. 43. P. J. 4711. Ol. 194. II. Aug. 42. A. AE. Chr. 3.

Coſs. { Cn. Cornelius Lentulus.
M. Valerius Meſſalinus.

Baronius, Joſephus Scaliger, aliique arbitrati ſunt hoc anno Nativitatem conſignandam. Fuga in AEgyptum, & reditus. Circa initium Martii, cum laberetur annus Herodiani

ni regni XXXVII. ex priore epocha , & XXXIV. ex altera, obit Herodes paucis diebus poſt SS. Innocentium , & filii Antipatri necem , Jerichunte ; ejuſque corpus magna pompa delatum conditur in arce Herodio , non procul a civitatibus Jerichunte , & Jeroſolymis . Archelaus Herodis filius heres relictus ſupremis tabulis , feſto die Paſchatis celebrato Romam petit . Antipas cum Archelao de paterno regno decertat . Cajus Caeſar Auguſti ex filia Julia nepos , & adoptione filius , judicium fert de ſucceſſione , non Lucius frater .

An. U. 752. J. 44. P. J. 4712. Ol. 194. III. Aug. 43. A. AE. Chr. 2.

Coſs. { Auguſtus Caeſar XIII.
M. Plautius Silvanus .

Lucius Caeſar Caii frater virilem togam accipit. Cajus Caeſar ſub finem hujus anni , vel ſequentis initio pergit in Orientem ad bellum Parthicum ; & Jani fores recluduntur . Juliae relegatio . Clemens Alexandrinus , aliique nonnulli ineunte Januario nativitatem conſignant , An. XXVIII. Auguſti ab Alexandria capta .

An. U. 753. J. 45. P. J. 4713. Ol. 194. IV. Aug. 44. A. AE. Chr. 1.

Coſs. { Cornelius Lentulus .
L. Calpurnius Piſo .

Pax cum Parthis non adhuc ſancita .

ANNO AERAE CHRISTIANAE PRIMO. U.C.753. uſque ad Palilia, & 754. a Palilibus . Juliano 46. P. J. 4714. Olymp. 195. I. Olympiadico 777. Auguſti 45.

Coſs. { Cajus Caeſar .
L. AEmilius Paullus .

Bellum ardet adverſus Parthos , & in Germania .

An. Chr. 2. U. C. 755. J. 47. P. J. 4715. Ol. 195. II. Aug. 46.

Coſs. { P. Vinicius .
P. Alfenus .

Lucius Caeſar Maſſiliae moritur.

An. Chr. 3. U. C. 756. J. 48. P. J. 4716. Ol. 195. III. Aug. 47.

Coſs. { L. AElius Lamia. / M. Servilius.

Ex veteri numiſmate videtur per haec tempora, & duobus ſequentibus annis Syriae praefuiſſe, inter Varum, & Quirinum, Cnejus Sentius Saturninus.

An. Chr. 4. U. C. 757. J. 49. P. J. 4717. Ol. 195. IV. Aug. 48.

Coſs. { Sext. AElius Catus. / Cajus Sentius Saturninus.

Cajus Caeſar in Lycia occubuit A. D. VIIII. K. Mart. ut in Piſano Cenotaphio. Adoptio Tiberii.

An. Chr. 5. U. C. 758. J. 50. P. J. 4718. Ol. 196. I. Aug. 49.

Coſs. { L. Valerius Meſſalla Voluſus. / Cn. Cornelius Cinna Magnus.

Victoria Tiberii Germanica.

An. Chr. 6. U. C. 759. J. 51. P. J. 4719. Ol. 196. II. Aug. 50.

Coſs. { M. AEmilius Lepidus. / L. Arruntius.

Obitus Herodis ex Baronio, ſed mortuus erat An. V. 751. Archelaus Herodis filius Ethnarcha in exilium pellitur hoc vel ſequenti anno.

An. Chr. 7. U. C. 760. J. 52. P. J. 4720. Ol. 196. III. Aug. 51.

Coſs. { A. Licinius Nerva Silianus. / Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus.

Germanicus in Pannoniam mittitur. Quirinus cenſum agit in Judaea redacta in Provinciam, cui praeeſt: Judae Galilaei ea de cauſſa, caedes, latrocinia. Coponius primus in Judaea Caeſaris Procurator.

An. Chr. 8. U. C. 761. J. 53. P. J. 4721. Ol. 196. IV. Aug. 52.

Coſs. { Furius Camillus. / Sex. Nonius Quinctilianus.

Dalmatae, & Pannonii Romanis ſe dedunt.

An. Chr. 9. U. C. 762. J. 54. P. J. 4722. Ol. 197. I. Aug. 53.

Coſs.

Coſs. { Q. Sulpicius Camerinus.
C. Poppaeus Sabinus.

Variana clades in Germania. Quinctilius Varus, qui Syriam adminiſtrabat naſcente J. Chriſto, & dum Herodes obiit, ab Arminio Romanorum duce victus, mortem ſibi conſciſcit.

An. Chr. 10. U. C. 763. J. 55. P. J. 4723. Ol. 197. II. Aug. 54.

Coſs. { P. Cornelius Dolabella.
C. Junius Silanus.

Tiberius aedem Concordiae conſecrat, & in Germaniam mittitur.

An. Chr. 11. U. C. 764. J. 56. P. J. 4724. Ol. 197. III. Aug. 55.

Coſs. { Manius AEmilius Lepidus.
T. Statilius Taurus.

Hoc circiter tempore M. Ambivius ſecundus in Judaea Procurator Caeſaris fuit.

An. Chr. 12. U. C. 765. J. 57. P. J. 4725. Ol. 197. IV. Aug. 56.

Coſs. { Germanicus Caeſar.
C. Fontejus Capito.

Tiberii triumphus de Pannon. & Dalmat. ſub anni finem, vel ſequenti.

An. Chr. 13. U. C. 766. J. 58. P. J. 4726. Ol. 198. I. Aug. 57.

Coſs. { C. Silius.
L. Munacius Plancus.

Auguſtus invitus Reipublicae adminiſtrationem accipit in quintum decennium. Hiſce temporibus tertius Procurator mittitur in Judaeam Annius Rufus. Imperium Proconſulare Tiberio hoc anno in Provincias confertur; lata lege ut eas cum Auguſto communiter adminiſtraret. Primus Tiberii Annus more Syrorum ab Autumno.

An. Chr. 14. U. C. 767. J. 59. P. J. 4727. Ol. 198. II. Tiberii I.

Coſs. { Sex. Pompejus.
Sex. Appulejus.

Auguſtus Luſtro tertio condito objit 19. Auguſti, annos natus 77. Hinc vulgo ſumitur ini-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

initium Imperii Tiberii : ſed Georgius Herwartus, Seculo Eccl. XVII. ineunte epocham Imperii Proconſularis priorem invexit.

An. Chr. 15. U. C. 768. J. 60. P. J. 4728. Ol. 198. III. Tiberii 2.

Coſs. { Druſus Caeſar.
C. Norbanus Flaccus.

Valerius Gratus (ſi Lamio accedimus: ſed ad ſequentem potius annum pertinet) poſt Rufum Judaeae Procurator a Tiberio miſſus, undecim annis praeeſt. Joſephus Caiphas Pontifex inauguratur. Silanus Syriae Praeſes.

An. Chr. 16. U. C. 769. J. 61. P. J. 4729. Ol. 198. IV. Tiberii 3.

Coſs. { T. Statilius Siſenna Taurus.
L. Scribonius Libo.

An. Chr. 17. U. C. 770. J. 62. P. J. 4730. Ol. 199. I. Tiberii 4.

Coſs. { C. Caelius Rufus.
L. Pomponius Flaccus.

Piſo Syriae Praeſes poſt Silanum.

An. Chr. 18. U. C. 771. J. 63. P. J. 4731. Ol. 199. II. Tiberii 5.

Coſs. { Tiberius Auguſtus III.
Germanicus II.

Cappadocia in Provinciam a Romanis redacta.

An. Chr. 19. U. C. 772. J. 64. P. J. 4732. Ol. 199. III. Tiberii 6.

Coſs. { M. Julius Silanus.
C. Norbanus Balbus.

Cnejus Sentius Saturninus fortaſſe filius Saturnini qui Syriam adminiſtravit inter M. Titium, & Quinctilium Varum, Prolegatus Syriam obtinet. Germanicus perit Piſonis artibus.

An. Chr. 20. U. C. 773. J. 65. P. J. 4733. Ol. 199. IV. Tiberii 7.

Coſs. { M. Aurelius Meſſala.
M. Aurelius Cotta.

An. Chr. 21. U. C. 774. J. 66. P. J. 4734. Ol. 200. I. Tiberii 8.

Coſs. { Tiberius Auguſtus IV.
Druſus Caeſar II.

Mors

Mors Quirini qui Judaeam bis deſcripſit.

An. Chr. 22. U. C. 775. J. 67. P. J. 4735. Ol. 200. II. Tiberii 9.

Coſs. C. Sulpicius Galba. D. Haterius Agrippa.

L. Pomponius Flaccus Syriae Praeſes poſt Cn. Sentium Saturninum circa hoc tempus.

An. Chr. 23. U.C. 776. J. 68. P. J. 4736. Ol. 200. III. Tiberii 10.

Coſs. { C. Aſinius Pollio. C. Antiſtius Vetus.

An. Chr. 24. U.C. 777. J. 69. P. J. 4737. Ol. 200. IV. Tiberii, 11.

Coſs. { Cornelius Cethegus. L. Viſellius Varro.

An. Chr. 25. U. C. 778. J. 70. P. J. 4738. Ol. 201. I. Tiberii 12.

Coſs. { M. Aſinius Agrippa. Coſſus Cornelius Lentulus.

An. Chr. 26. U. C. 779. J. 71. P. J. 4739. Ol. 201. II. Tiberii 13.

Coſs. { Lentulus Getulicus. C. Calviſius.

Joſephus Caiphas Pontificatu fruebatur.

An. Chr. 27. U. C. 780. J. 72. P. J. 4740. Ol. 201. III. Tiberii 14.

Coſs. { M. Licinius Craſſus. L. Calpurnius Piſo.

Pontius Pilatus Judaeae Procurator. Joannes Baptiſmum miniſtrat. Autumno inchoatur XV. annus Tiberii more Syrorum prolepti-ce: eſt etiam XV. annus Imperii Proconſularis Tiberii: idque uſque ad plures menſes anni ſequentis, quos complectitur annus XV. Tiberii tum prolepticus, tum Proconſularis.

An. Chr. 28. U.C. 781. J. 73. P. J. 4741. Ol. 201. IV. Tiberii 15.

Coſs. { Ap. Junius Silanus. P. Silius Nerva.

J. Chriſti Baptiſmus Anno ineunte, & I. Paſcha poſt Baptiſmum. Unus Blanchinius hoc anno Chriſti mortem conſignat. Verna tempeſtate abſolvitur annus XLVI. inſtaurationis templi Jeroſolymitani, de quo loquuntur Ju-

Judaei c. 2. Evang. S. Joannis: coepta hujuſmodi extructio A. U. C. 735. circa Paſcha.

An. Chr. 29. U. C. 782. J. 74. P. J. 4742. Ol. 202. I. Tiberii 16.

Coſs. { C. Fufius Geminus. L. Rubellius Geminus.

Paſcha II. J. Chriſti poſt Baptiſmum. Veteres plerique putarunt hunc eſſe annum Servatoris emortualem. Ita quoque Henſchenius, Pagius, Schelſtratius, Noriſius, Graveſonus.

An. Chr. 30. U. C. 783. J. 75. P. J. 4743. Ol. 202. II. Tiberii 17.

Coſs. { L. Caſſius Longinus. M. Vinicius.

Chriſti Reparatoris III. atque ſupremum poſt Baptiſmum Paſcha, Mors, Reſurrectio, Aſcenſio. Divini Spiritus adventus die Pentecoſtes, labente Anno Tiberii 16. & Syrorum more, proleptice, Anno 17.

An. Chr. 31. U. C. 784. J. 76. P. J. 4744. Ol. 202. III. Tiberii 18.

Coſs. { Tiberius V. L. AElius Sejanus.

Sejanus Conſul mortis ſupplicio affectus.

An. Chr. 32. U. C. 785. J. 77. P. J. 4745. Ol. 202. IV. Tiberii 19.

Coſs. { Cn. Domitius Ahenobarbus. M. Furius Camillus Scribonianus.

An. Chr. 33. U. C. 786. J. 78. P. J. 4746. Ol. 203. I. Tiberii 20.

Coſs. { Ser. Sulpitius Galba. L. Sulla Felix.

Sub his Conſulibus putant quidam Paſſum eſſe J. Chriſtum menſe Aprili, quo labebatur adhuc Annus IV. Olympiadis 202. Olympiadici enim anni ineunt aeſtate.

An. Chr. 34. U. C. 787. J. 79. P. J. 4747. Ol. 203. II. Tiberii 21.

Coſs. { Paullus Fabius Perſicus. L. Vitellius.

Obitus Philippi Trachonitidis Tetrarchae, Herodis Magni filii, dum adhuc excurreret XX. Ti-

Digitized by Google

Tiberii annus. Annus hic aliquot poſt Paſcha menſibus, eſt XX. Tiberii labens, & XXXVII. Tetrarchiae Philippi, a patris morte.

An. Chr. 37. U. C. 790. J. 82. P. J. 4750. Ol. 204. I. C. Caligulae I.

Coſs. { Cn. Acerronius Proculus.
C. Pontius Nigrinus.

Tiberius menſe Martio vita functus, poſtquam regnaſſet annos XXII. & aliquot menſes: eodemque tempore Imperio auctus Cajus Caligula Germanici filius. Vitellius Syriam Praeſes regebat. Pontius Pilatus appetente vere Romam proficiſcitur rationem ſui muneris Caeſari redditurus, qui interea exceſſit e vita. Per idem fere tempus Caiphas in ordinem redigitur, & Pontifex inauguratur Jonathas Anani filius. Caligula Agrippam Herodis Magni nepotem vinculis ſolvit, & Philippi ac Lyſaniae Tetrarchiis, cum regis appellatione, donat.

An. Chr. 39. U. C. 792. J. 84. P. J. 4752. Ol. 204. III. C. Caligulae 3.

Coſs. { Cajus Auguſtus II.
L. Apronius Caeſianus.

Herodes Antipas Tetrarcha Galilaeae, Magni filius in Italiam navigat ut regiam dignitatem adipiſcatur. Petronius hoc circiter tempore in Syriam mittitur.

An. Chr. 40. U. C. 793. J. 85. P. J. 4753. Ol. 204. IV. C. Caligulae 4.

Coſs. { Cajus Auguſtus III.

Herodes Antipas Tetrarchia Galilaeae exuitur, eaque Agrippae regno accedit. Menſe Martio hujus anni Caligula auſpicatur Annum Imperii IV. & Antipas Annum Tetrarchiae ſuae XLIII. a Patris morte.

An. Chr. 41. U. C. 794. J. 86. P. J. 4754. Ol. 205. I. Claudii I.

Coſs. { Cajus Auguſtus IV.
Cn. Sentius Saturninus.

Caligulam IX. Kal. Februarias interfectum ex-

cipit Claudius Imp. patruus. Regnavit C. Caligula annos III. menſes X. & dies praeterea nonnullos.

An. Chr. 54. U. C. 807. P. J. 4767. Ol. 208. II. Neronis I.

Coſs. { M. Aſinius Marcellus. M. Acilius Aviola.

Obit Claudius die 13. Octobris: imperaverat annos XIII. menſes fere IX. Nero Imperio augetur.

An. Chr. 65. U. C. 818. P. J. 4778. Ol. 211. I. Neronis 11. & 12.

Coſs. { A. Licinius Nerva Silianus. M. Veſtinus Atticus.

Martyrium S. Petri ex Pagio.

An. Chr. 66. U. C. 819. P. J. 4779. Ol. 211. Neronis II. 12. & 13.

Coſs. { C. Lucius Tebeſinus. C. Svetonius Paulinus.

An. Chr. 70. U. C. 823. P. J. 4783. Ol. 212. II. Veſpaſiani 2.

Coſs. { Fl. Veſpaſianus Auguſtus II. Titus Caeſar.

Titus, Veſpaſiano jubente, caſtra ponit ſub Paſcha, menſe Aprili: capta ſunt autem Jeroſolyma menſe Septembri, templumque igni abſumtum.

PRAE-

PRAEFATIO.

MAximi momenti diſceptationem adgredior, de J. Chriſti Servatoris noſtri Annis, & Evangelica Chronotaxi, praeſertim vero de prioribus Reparatoris noſtri Myſteriis probe conſignandis; iiſque nonnulla adjicio de Annis illius ſupremis, ne quis Diſſertationem hanc veluti mutilam faſtidiat atque abjiciat. Ne autem cogita, Lector, actum prorſus me agere, quod vetamur: etenim non pauca attigi quae alibi fortaſſe fruſtra quaeſieris; omnia tamen eo ſpectant ut Evangelicae Hiſtoriae veritas ab impiorum hominum maledictis, quibus laceſſita fuit, vindicetur, ejus cum profana Hiſtoria conſenſio cuivis pateat, & veteres Eccleſiae mores rituſque confirmentur. Qui penitiores haſce litteras conſectantur, ceteriſque palmam in ſacra Chronologia praeripiunt, egiſſe nobiſcum J. Chriſtum Dei Filium cenſeat annos XXXIII. ac menſes aliquot; & ſane merito, quando jamdiu id veluti a majoribus traditum teſtatur Beda: Habet, ni fallor, Eccleſiae fides, Dominum in carne paullo plus quam XXXIII. annis uſque ad ſuae tempora Paſſionis vixiſſe. *Itaque Henſchenius, Schelſtratius, Pagius, aliique ſubacto viri ingenio, cum Anno aerae Chriſtianae communis XXIX. quo duo* Gemini *Conſules proceſſerunt, Cruci ſuffixum J. Chriſtum ſtatuant, veterum complurium veſtigiis inhaerentes, ſolido quinquennio ante vulgarem aeram Natum contendunt, ejuſque vitam ſpatio XXXIII. annorum, menſiumque praeterea paucorum ſpatio definiunt. Prope abſunt, ab eorum opinione Noriſius, & Graveſonus, qui cum de tempore mortis & ϛαυρωσίμου idem ſentiant, & quadriennio duntaxat ante aeram noſtram communem prodiiſſe in lucem Orbis Reparatorem arbitrentur, ejus aetatem contrahunt, vitamque pro nobis cum ſanguine profudiſſe putant trigeſimo tertio anno vix inchoato: Illuſtr. Blanchinius idem atque Noriſius & Graveſonus*

exi-

exiſtimat, quod aetatem Chriſti ſpectat: tametſi enim quinquennio ante vulgarem aeram Natum Chriſtum conſtituit cum Henſchenio, neſcio tamen quomodo factum ſit ut Mortem conjiciat in annum vulgaris aerae XXVIII. ſed oppido pauci viro ceteroqui eruditiſſimo accedent. In hac Diatribe valere juſſa tantiſper Henſcheniana & Pagiana Chronotaxi, Natalis dies J. Chriſti incidit in annum Varronianum Urbis Romae Conditae 749. cadentem, quadriennio ſolido ante aeram noſtram, & in menſem Decembrem, quemadmodum ſciſcit Romana Eccleſia ceterarum princeps: Mors autem in annum ejuſdem aerae XXX. cum Chriſtus annum attigiſſet aetatis XXXIV. Qua quidem in re Henſchenio, Pagio, atque Schelſtratio auſcultamus quod ad aetatem pertinet; ſi vero ſermo ſit de Natali die figendo anno Urbis Conditae 749. Noriſio, Graveſono, Natali Alexandro, Tillemontio, Petavio, Lancellotto, Uſſerio, Dekerio: at cum omnibus hujuſmodi majorum gentium Chronographis manus conſerimus, ubi ventum eſt ad annum emortualem. Nemo, opinor, niſi prorſus hebes nobis jure ſuccenſere poterit, quod pro anno aerae noſtrae decertemus; cum ſi ſemel fas ſit (fas eſt autem, ut explorata res eſt, & in confeſſo apud omnes) annum aerae noſtrae XXIX. rejicere, ſatius videatur minimum, quoad ejus fieri poteſt, deflectere de ſemita veterum complurium annum illum probantium, nec producenda ſit Chriſti vita uſque ad An. vulg. XXXIII. aetatiſque illius XXXVII. quod concoquere nunquam potuimus. Idcirco, cum antiqui Scriptores rerum a noſtra memoria propter vetuſtatem remotarum teſtes ſint locupletes, omnique exceptione majores, Mortem Servatoris contigiſſe exiſtimamus, vel An. Chr. XXIX. vel XXX. poſtremum autem ſeligimus, & cum alterius propugnatoribus iterum deſcendimus decertaturi in arenam. De Natali Anno dimicantes ſigna vix cum aliis contulimus, quam cum conſignantibus Nativitatem A.U.C. 748. videlicet cum Henſchenio, M. Antonio Cappello, Keplero, Pagio, Schelſtratio, Blanchinio: niſi enim Annum U.C. 749. auſpicatiſſimo Servatoris ortu conſecratum velimus, quod nobis cum viris de temporum doctrina optime meritis magis arridet, confugiendum eſt ad ſuperiorem illum annum 748. Bernardo Lamio Cl. Viro pugnanti acerrime pro Anno U. C. 750. Chriſti Natali, nuntium, ejus pace, remittimus, utut egregie hac in re verſa-

to,

to, & magno nobis adiumento futuro, luculentiſſimo Apparatu ſuo Chronologico. Praetereo Chriſtianum Noldium in Hiſtoria Idumaea, *ſeu* de Vita & Geſtis Herodum, *tom. 2. Joſephi edit. Haverc. qui Scaligerianos epilogiſmos labefactari non poſſe fidenter narrat, ſuamque Chronologiam, & priora Chriſti Myſteria conjungit cum Anno Natali collato in Julianum XLIII. & Urbis 751. Joſephum Scaligerum praeeuntem ſequutus: haud enim ſcio an quicquam bonae frugis allaturus ſit, qui tam foede in limine impingit. Petrus Poſſinus vulgarem aeram in clientelam ſuſcipiens, primum ejus annum primum quoque Chriſti orti in fine ſuperioris putavit. Cum autem multa ſint quae Poſſino adverſantur, & Nativitati cadente An.U. 753. tum vero maxime Herodis ſupremus annus, triennio fere antea, & judicium de Herodiani regni ſucceſſione, cui praefuit Cajus Caeſar ſine Lucio fratre, quod multo aliter eveniſſet, ſi anno U.C. 754. id geſtum fuiſſet. Juvat in medium proferre verba Cardinalis Noriſii, adeo in Caii & Lucii Caeſarum Hiſtoria verſati*, de Cenotaphiis Piſanis, *Diſſertatione 2. cap. 6.* Haec de Auguſto ſcribit Joſephus L. 17. c. 12. interprete Gelenio: *Amicos in conſilium advocat, & in his Cajum Agrippae, & Juliae filiae ſuae filium jam a ſe adoptatum, primum ei locum in conſiſtorio tribuens.* Hoc judicium habitum eſt An. U. 751. itaut nec in annum ſuperiorem nec in quempiam proxime inſequentium protrahi poſſit.... Memoratum judicium in proximos annos, quod pro arbitrio faciunt vulgo Scriptores, protrahi non poſſe eo manifeſte oſtenditur quod unus Cajus Caeſar ab Auguſto inter judices ſedere juſſus eſt. Anno Urbis proximo 752. Lucius Caeſar virilem togam induit, ac omnibus honoribus exornatus eſt, quos die ſui tirocinii Cajus ejuſdem frater ante triennium tulerat. Et ſane eidem permiſſum fuerat *ut in ſenatum iret* ex Dione L. 55. & in excerpis a Zonara. Quare ſi judicium illud habitum fuiſſet A.U. 752. aut quopiam inſequentium, Auguſtus Lucium quoque Caeſarem ad idem judicium accerſiviſſet, quod praeſertim Lucius erat eo anno Conſul deſignatus. *Poſſinus An. U. 754. aerae Chriſtianae primo Cajum Caeſarem Conſulem animadvertens, rem confeciſſe exiſtimat, & eumdem ſententiam ferre in Urbe potuiſſe dictitat. Cenotaphium tamen Piſanum Caii ei adverſatur, aliud praeferens: POST. CONSULATUM. QUEM. ULTRA. FINIS. EXTREMAS. POPULI. ROMANI. BELLUM. GERENS FELICITER. PEREGERAT, &c.*

Digitized by Google

Mirari minime ſubit Poſſinum qui in Hiſtoria hoſpes non erat ita ſenſiſſe : ſcilicet praeclarum adgredi facinus ſibi viſus eſt deſertae cauſſae patrocinium ſuſcipiendo. Quod ſi de vetuſtiſſimis Chriſtiani nominis Scriptoribus agamus, cum tanta ſint in varietate conſtituti religioni minime habemus, tum ab aliis deſciſcere, tum ab illis qui Natalem hunc diem humano generi fauſtiſſimum conjecerunt in Annum Auguſti XXVIII. Ut de Clemente Stromateo loquamur, id L. 1. Strom. aperte teſtatur: Natus eſt autem Dominus Noſter XXVIII. anno, cum primum juſſerunt deſcriptiones fieri, tempore Auguſti; *quod alii quoque memoriae prodiderunt. Clemens biennio ante vulgarem aeram Nativitatem conſtituit, ineunte videlicet Januario & Anno U. 752. Auguſto Caeſare XIII. & M. Plautio Silvano Coſs. quandoquidem AEgyptii annos Auguſti auſpicabantur non ab Anno U. 723. & ab Actiaca pugna, ſed a ſequenti A.U. 724. quo, menſe Sextili, Alexandria potitus eſt urbe longe opulentiſſima. Baronius ac Pagius in Apparatu laudant Horatii verſus L. 4. Ode 14.*

Nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam patefecit aulam;
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum, peractis
Imperiis, decus arrogavit.

Sed Baronius tribus illis luſtris ſignificari credidit Imperium Auguſti a nece C. Julii Caeſaris initum quindecim annis antequam Alexandriam victor ingrederetur. Pagius vero victoriam de Rhaetis Vindelicis reportatam quindecim annis a capta Alexandria. Non eſt igitur Annus Natalis Clementi Alexandrino Annus Actiacus petitus ab A.U. 723. ſed AEgyptiorum epocha a ſequenti U.C. 724. ſub Autumnum inchoando: qui Clementis annus labitur ab Autumno fere Anni U. 751. ad Autumnum Anni U. 752. & bene ſubductis rationibus naſcitur, ad mentem Alexandrini Scriptoris, J. Chriſtus initio Anni U. 752. Qui ita ſentiunt longe melius Poſſino rationes deputant. Clemens biennio ante aeram vulgarem ortum Servatoris conſignans, mortemque anno ejuſdem vulgaris aerae XXIX. feſto utique die Paſchatis & vere ineunte,

aeta-

aetatem ejus triginta annis dumtaxat, paucisque menſibus concludit; quod aliis quoque ejus aevi Scriptoribus uſuvenit; in quorum ſententiam ire non poſſumus, quod exploratum jam videatur Nativitatem figendam eſſe ante annum U.C. 752. *&* 751. *Seculo Chriſtiano IV. vix exacto, Sulpitius Severus L.*2. *Hiſtoriae Sacrae Natalem hunc revocavit ad tempora Sabini & Rufini qui Conſulatum geſſerunt An.U.C.* 750. *ac tantum non rem acu tetigit: quapropter Bernardum Lamium virum apprime in ſacra Chronographia verſatum minime puduit in hanc ſententiam deſcendere. Has conſimileſque variorum Scriptorum opiniones perſequi atque expendere poſt luculentiſſimas virorum praeſtantiſſimorum elucubrationes nil aliud foret quam operam ludere: neminem ſiquidem fugit, ſi reconditas haſce litteras, vel ſummis labiis delibaverit, quaeri jam tantum ab eruditis Chronographis utro anno U.C. in lucem ſit editus humani generis Reparator,* 748. *an* 749. *Ceterum temperare mihi non poſſum quin cum J. Harduino expoſtulem non tam de Anno Natali collato in An.U.C.* 747. *quam de menſe, dum Septembrem Nativitate conſecratum fuiſſe auſus fuit quondam ſcribere in Antirrhetico de Nummis Antiquis. Nae is, ut perſaepe ſolet, ſpecioſa pandit miracula, immo aegri ſomnia, & monſtra, ne quid gravius dicam, heic nobis venditat, dum ex fumo dare lucem cogitat, non fumum ex fulgore. Novi aliud alias ſenſiſſe; atque idcirco vix hoc ulcus tango. Bene ac ſapienter Latinorum Patrum facile princeps Auguſtinus, Tract. in Pſalm.* 132. Joannes natus eſt, ſicut tradit Eccleſia, Octavo Kal. Julias cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus Octavo Kal. Januarias, quando jam incipiunt dies creſcere: *quod pariter docet agens de Trinitate L.* 4. *c... Porro Auguſtinus idem omnem exemit dubitationem mihi cunctanti, animoque ſaepius recogitanti an hujuſmodi Diſſertationem exararem, quod ſcopuloſo in loco verſarer, & moleſtiam moroſis quibuſdam hominibus exhibeat temporum, annorumque ratio ſubobſcura & implexa. Enimvero, ut vir tantus monuit L.*2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 28. Per Olimpiadas, & Conſulum nomina multa ſaepe quaeruntur a nobis, & ignorantia Conſulatus quo natus eſt Dominus, multos coëgit errare. *Flavio Joſepho auctore Herodianam Chronologiam inſtaurandam curo; & plane confido fore ut nemo id mihi vitio vertat: neque enim nunc primum praeclariſſimi viri animadverterunt quanti aeſtimandum ſit illius*

illius in Judaica Hiſtoria teſtimonium. Ita de Joſepho loquitur Euſebius Caeſareenſis H. E. L. 3. cap. 9. Hic Joſephus non modo apud gentem ſuam, verum etiam apud Romanos Judaeorum illius temporis facile praeſtantiſſimus habitus fuit, ita ut tum ſtatuae honore in Urbe Roma decoraretur, tum libri ab eo induſtria elaborati confectique in Bibliotheca tamquam monimenta merito reponerentur. Hic vero rerum Judaicarum Antiquitatem in viginti integros Libros redegit: Hiſtoriam item de Bello Judaico ſua ipſius aetate adminiſtrato, ſeptem Libris conſcripſit. Quas res non Graeco ſolum ſermone, ſed patrio etiam ſe tradidiſſe, ſuo ipſius confirmat teſtimonio. Cui quidem propter reliquas res veriſſime ab eo conſcriptas, etiam in hac cauſſa fides jure debet adhiberi. *Sed jam paucis ſententiam noſtram aperiamus. J. Chriſtus conceptus eſt menſe Martio Anno U. C. 749. quo etiam tempore novum ſidus in Oriente Magi ſpectarunt: & ejuſdem anni Decembri natus, Anno Juliano 41. Auguſti 40. Olympiadis 193. anno IV. Periodi Julianae A. 4709. Auguſto Caeſare XII. & L. Cornelio Sulla Coſs. ante vulgarem aeram anno V. cadente. Caedes Bethlehemitica patrata eſt circa Martii initium A. U. C. 751. quo anno ac menſe objit Herodes Magnus vocatus. Baptiſmo perfuſus eſt Chriſtus a Joanne An. aerae communis XXVIII. ineunte, & in Crucem actus Anno ejuſdem aerae XXX. L. Caſſio Longino, & M. Vinicio Coſs. exactis aetatis ſuae annis XXXIII. tribuſque circiter menſibus. Nihil heic lector deprehendet quod Evangelicae Hiſtoriae, & antiquis Eccleſiae moribus qui inveterarunt non ſit conſentaneum: ea autem methodo tradere cuncta & confirmare nitimur, ut nemo fortaſſe de Exercitatione hac noſtra dicturus ſit, quod cadit in plures Chronologos, (Terent. Phorm. A. 2. S. 3.)* Feciſtis probe, incertior ſum multo quam dudum.

NOS

NOS F. THOMAS RIPOLL

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR

Totius Ordinis Praedicatorum Humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie noſtrique authoritate officii licentiam concedimus Patri L. Fratri Thomae Vincentio Moneliae Congregationis Noſtrae S. Marci de Florentia, ut Typis mandare valeat Diſſertationes duas ab ipſo compoſitas *De Annis Chriſti*, *& de Religione utriuſque Philippi Aug.* poſtquam reviſae, & approbatae fuerint ab Ad. RR. PP. F. Dionyſio Remedelli in Collegio S. Marci de Florentia Lectore Theologiae Moralis, & Fr. Hiacyntho Maria Juſtiniani in eodem Collegio Philoſophiae Lectore: ſervatiſque aliis de jure ſervandis. In Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his Sigillo noſtro munitis propria manu ſubſcripſimus. Datum Romae in Conventu noſtro Sanctae Mariae ſuper Minervam die 29. menſis Aprilis 1739.

F. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Reg. fol.70.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Pius Thomas Schiara Proſocio.

AP-

APPROBATIO

QUae de Evangelica Chronotaxi, deque Religione duorum Philipporum mox in lucem editurus conſcripſit Ad. R.P. Lector Fr. Thomas Vincentius Moniglia Ord. Praed. juſſu Reverendiſs. P. Fr. Thomae Ripoll ejuſdem Ord. Praed. Generalis Magiſtri diligenter perlegi, nec deprehendere quidquam potui quod aut expungere, aut cenſura notare oporteret; inmo vero mecum ipſe ſum gratulatus, ampliſſima, difficillimaque argumenta doctiſſimum una atque Religioſiſſimum Auctorem nacta eſſe a quo pro dignitate pertractarentur. Sat eſt doctiſſimis Chronologis compertum, exploratumque, quam ſit ſalebroſum aleaeque plenum Deiparae Evangeliſmum, Magorum Bethlehemum appulſum, Stellae conſpectum, Infantium caedem, aliaque id genus Evangelii capita cum Natali atque Emortuali Chriſti anno ita componere, ac ſuis quaeque temporibus collocare, ut una ſimul & Evangelii Hiſtoria, & Caelorum motus, & Scriptorum antiquorum adſerta concilientur, ſeque mutuo confirment. Satis item perſpectum eſt Sacrae atque profanae Hiſtoriae cultoribus quam perdifficile ſit dijudicare, uter ex antiquis Imperatoribus primus Chriſtianae Religioni nomen dederit, Conſtantinus ne an Philippus. Doctiſſimus ſane Auctor utrumque in hoc Opere egregie praeſtitit: Evangelicae Chronotaxeos capita apertiſſima, aptiſſimaque methodo digeſſit: unum ex alio evidenter deduxit, ſolidiſſimeque confirmavit: & quod unum aliis Chronologis fruſtra tentatum eſt, planam apertamque viam excogitavit, qua cum Aſtronomia ac vetere Hiſtoria componi poſſet Evangelium. Magno Conſtantino primi Imperatoris Chriſtiani gloriam adjudicavit: Philippos contra Ethnicae ſuperſtitioni perpetuo addictos novis ex penitiore Hiſtoria productis argumentis plane demonſtravit. Tanta denique dicendi copia rationumque apparatu argumentum utrumque eſt perſecutus, ut mihi certo ſuadeam, futurum ut illuſtre hoc Opus, meumque hoc qualecumque judicium iis omnino probetur, qui haec ſtudia excolere conſueſcunt.

E Collegio Florentino S. Marci III. Idus Aprilis MDCCXLI.

F. Dionyſius Remedelli Ord. Praed. S. Th. P.
Et in eodem Collegio L. Secundarius.

A P-

APPROBATIO

UT mandatis Reverendiſſimi P. M. Generalis Ord. N. Fr. Thomae Ripoll ſatisfacerem Diſſertationes duas *De Evangelica Chronotaxi*, *deque Religione utriuſque Philippi Auguſti* a R.P.L. F. Thoma Vincentio Monelia conſcriptas maxima cum admiratione, animique voluptate perlegi. Ac priore quidem quae Evangeliſtae de Apparitione Stellae, de Nativitate Chriſti, de Baptiſmo, ac morte Servatoris Noſtri hiſtorice referunt & inter ſe, & cum Aſtronomicis obſervationibus tanta felicitate componit, ut in re tam impedita, atque difficili nihil ſupereſſe videatur, quod a Viris in hoc rerum genere exercitatis deſiderari queat. Poſteriori autem Diſſertatione ex rebus geſtis Philipporum, ex eorum nummis, atque etiam ex aliis veteribus monumentis oſtendit plane ad veritatem eoſdem Imperatores Religioni Chriſtianae numquam ſe devoviſſe. Quae cum ita ſint, cenſeo equidem dignum eſſe hoc Opus, quod in lucem prodeat; quum praeſertim nihil contineat, quod fidei, aut caſtis Eccleſiae moribus adverſetur, immo vero ſumma elegantia, eruditione, & argumentorum vi atque copia perſcriptum, elaboratumque ſit, magnaſque afferre lectoribus poſſit utilitates. Ita cenſeo &c.

Datum in Collegio S. Marci Florentiae III. Idus Apr. MDCCXLI.

Fr. Hiacynthus M. Juſtinianus Ord. Praed.
In Colleg. Philoſoph. Lector.

I M-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Ph. Spada Archiep. Theodoſiae Viceſg.

APPROBATIO

Reverendiſſimi P. Nicolai Ridolphi S. P. A. Magiſtri juſſu attente legi Diſſertationes duas, unam de *Annis Chriſti*, & alteram de *Utriuſque Philippi Religione* Auctore R. P. F. Thoma Vincentio Monilia Ord. Praed. Nihil a Fide Chriſtiana Catholica, & bonis Moribus abſonum in illis offendi. Utramque publica luce dignam judico cum ob gravitatem, & dignitatem argumenti, tum ob Auctoris ſtudium, & diligentiam in re obſcura, & magnis difficultatibus implexa declaranda, & dilucide explicanda.

Ex Collegio Clementino hac die prima Septembris 1740.

D. Jo. Franciſcus Baldinus Cl. Reg. Cong. Somaſchae.

IMPRIMATUR.

Fr. Nic. Ridolphi Ord. Praed. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

DISSERTATIO I.
DE ANNIS CHRISTI.
CAPUT I.

Mors Herodis Magni vocati conjicienda eſt in Annum U.C. 751. circa Martii initium: Duplex Herodiani Regni Epocha; de filiorum Herodis Principatu: Nummus Antipae.

I.

TEMPUS Nativitatis auſpicatiſſimae J. Chriſti Reparatoris aſſequi nos poſſe arbitramur ex caede Infantium Bethlehemitica; atque hanc ex Herodis morte. Idcirco conſtituamus oportet principio annum, & quoad ejus fieri poterit, menſem Herodis ſupremum. Facem nobis præfert in celeberrima Chronologica diſputatione maximi momenti ad tuendam illuſtrandamque Hiſtoriam Evangelicam, Flavius Joſephus; ejuſque ope eruditiſſimi viri Petavius, Noriſius, Pagius, Bernardus Lamius, Natalis Alexander, aliique ſexcenti, nituntur emortualem diem Herodis Aſcalonitæ expiſcari. Noriſius palam teſtatur Joſephum, demtis Canonicis Scriptoribus, aliis quibuslibet palmam praeripere quod ſpectat Hiſtoriam Judaicam. Enimvero ſi animadvertamus quanta ſit ejus in rebus Judaicis eruditio, quæ generis & magiſtratuum dignitas, & quo tempore floruerit, ſub Veſpaſiano videlicet Imperatore, eum facile intelligemus Hiſtoricis ceteris hac quidem in re longe antecellere. Excripſit de Herode agens fere Nicolaum Damaſcenum Herodis familiarem, cujus opus injuria temporis periit: ſed hinc patet magis magiſque Joſephi teſtimonio fidem habendam; maxime cum epochæ illuſtriores, regnorum initia ac mortes principum virorum, vix invidorum & aſſentatorum ſtudiis pateant, nec facile perverti & corrumpi poſſint eâ aetate quae prope abeſt a rebus geſtis.

II. Itaque Joſephus maximè ſibi conſtans, tum L. 17. Antiquitatum cap. 8. tum L. 1. de Bello Judaico cap. ult. duplici epocha adhibita,

Digitized by Google

mortem Herodis conſignat anno XXXVII. Regni a Romanis collati, & XXXIV. Regni a captis Jeroſolymis & nece Antigoni. Explorata res eſt anno Urbis Conditae 714. labente, menſe Octobri vel Novembri potius, ut conjicit Bernardus Lamius, Romæ regnum illi collatum fuiſſe, ob plurima quae antea eo anno contigerant: quapropter cadente tantum Anno U. C. 750. incipit ſupremus Herodis annus, excurrens ad calcem An. V. 751. Quod ſi ab Antigono obtruncato, eumdem regis obitum, poſtremumque annum XXXIV. repetamus, bene ſubductis rationibus, res eodem recidet. Nam hujus regni initium, ſublato Antigono, conſtituit Joſephus triennio poſt priorem epocham, ut comperta res eſt, atque idcirco An. U. C. 717. Adnotandum eſt cladem Jeroſolymitanam in Autumnum incidiſſe (ac fortaſſe in Novembrem menſem ut quidam ſciſcunt, ob tertium menſem, & jejunium Joſepho memoratum) ſi igitur poſt annum Urbis 717. in finem vergentem quaeratur XXXIV. erit is inchoandus cadente anno U. 750. & abſolvetur ſub finem An. U. 751. Optime hæc illuſtrat Bernardus Lamius qui egregie hanc Spartam ornavit Parte 1. Apparat. Chronol. ad Harm. Evang. cap. 6. & 10.

III. Herodiani regni priorem epocham An. U. 714. conſignandam in confeſſo eſt: etenim Herodes Romae, quo confugerat opem petiturus, Senatus conſulto rex conſtituitur *C. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione Conſulibus*, ex Joſepho Antiquit. L. 14. c. 26. nec minus exploratum eſt cadente anno id geſtum. Vix enim ante Octobrem Octavianus Caeſar & Antonius, pace inita, ovantes Urbem ingreſſi ſunt, ut Pagius in Apparatu oſtendit. Porro Herodes ſigna cum Antigono collaturus adhuc feſto die Pentecoſtes in Judaea verſabatur: *Cum autem quotidianae velitationes inter eos fierent, expectabant hoſtes multitudinem ad Pentecoſten, ut vocatur, ipſa autem feſtum eſt, e tota regione venturam: atque inſtante eo die multa circa fanum congregantur hominum millia, partim armatorum, partim inermium:* Herodes poſtea fuga ſibi conſulit novem millia militum ſecum ducens, Petram Arabiae petit, & ab Arabum rege Malcho rejectus in AEgyptum concedit, cumque Cleopatra fruſtra eum ut ibi aliquamdiu conſiſteret hortaretur, ex AEgypto ſolvit & prope Pamphiliae oras procellis jactatus aegre Rhodum ſe recipit, ibique tandem triremi maxima extructa, ſive parata, utrumque enim legimus de Bello L. 1. c. 11. & Antiquit. L. 14. c. 25. Brunduſium appulit, & in Urbem ſe contulit: quo fit ut non ante Novembrem An. U. 714. regnum a Romanis acceperit.

Digitized by Google

rit. Profectionem ex AEgypto putarunt nonnulli bruma appetente contigiſſe propter Joſephi verba χειμῶνός τι ὄντος, ſed ejus mentem non ſunt aſſequuti, procellae enim tantum fit mentio, ut recte adnotatur in praeclara editione Havercampi ex Uſſerio, Noriſio, Pagio, & Baſnagio.

IV. Altera Herodiani regni epocha a captis Jeroſolymis & Antigoni nece repetitur ab Anno U. 717. cum Joſepho triennio poſt priorem, ut ex Conſulibus palam fit, Antiquit. L. 14. cap. ult. *Haec urbi Jeroſolymitarum accidit clades Marco Agrippa, & Caninio Gallo Conſulibus, Olympiade centeſima & octogeſima quinta, menſe tertio, jejunii ſolennitate, tamquam recurrente in idem temporis momentum illata Judaeis a Pompejo calamitate: nam & eodem die ab illo poſt ſeptem & viginti annos Jeroſolyma capta fuerant*: Neque grandem dicam ſcribere Joſepho oportuit quia *Canidium* non *Caninium* poſuetit, niſi ab amanuenſibus potius peccatum ſit. Non me praeterit Noriſium revocare ad ſuperiorem annum 716. Jeroſolymitanam cladem, nitique Dionis auctoritate. Sed Joſephi longe vetuſtiori Judaicarum rerum ſcriptori accedendum eſſe optime ſuadet Pagius in Appar. Chronolog. ex bello Parthico, & Lamius Appar. Chronol. p. 1. c. 6. Satis fuerit dixiſſe, non repugnante Noriſio, Joſephum agentem de obitu Herodis anno 34. a necato Antigono, huc ſpectare, atque annum illum enumerare ab A. U. 717. Hujuſmodi epocha non eſt figenda ante menſem Septembrem & Autumnum, ut fatentur ii etiam qui ſanctae civitatis obſidionem minimum producunt. Joſephus Herodis frater, cum memoria excidiſſent illius monita, ſegeteſque demetere in votis haberet, ſtrenue pugnans occumbit: jam igitur annus adoleverat, & alia poſtmodum geſta ſunt ante obſidionem, qua menſes quinque civitas vexata fuit. *Denique tanto exercitio eos circumſedente, per quinque menſes obſidium toleraverunt*. L. 1. de Bello Jud. c. 13.

V. Eadem prorſus anni tempeſtate, iiſdemque diebus jejunii capta fuerant Jeroſolyma a Pompejo A. U. 691. C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſs. ex Joſepho Antiq. L. 14 c. 7. *tertio menſe, die jejunii*. Sunt qui putent cum Uſſerio ſermonem eſſe in utraque clade de tertio menſe civili Judaeorum, ſeu Casleu, ejuſque die 28. incidente in Juliani Decembris diem 20. A. U. 691. qui Sabbatum fuit, ut Dio ſcripſit (videantur adnotationes in editione Havercampi) Et quidem haud ſcio quomodo ad obſidionis menſem tertium utrobique verba Joſephi trahantur, cum poſterior clades multo diuturnior fuerit. Id ſi ita contigit, ſerius Herodes auſpicatur regnum poſt Antigonum, videlicet ſub finem

verſionibus Variorum ab Havercampo editis ad calcem Libri I. de Bello, hic nodus ſolvitur: *Ibant autem verſus Herodium octo ſtadia, h. e. agmen, cujus proxima mentio, cadaver per octo ſtadia comitatum eſt, qualis mos in funeribus apud nos etiamnum obtinuit . . . . ut ſit minus probabilis illorum ſententia, qui diebus ſingulis octo ſtadia volunt eſſe confecta*. Plura illic habes de utroque Herodio quae obſervaſſe minime pigeat. Ceterum ſi quis pugnet Herodem obiiſſe ſuperiore menſe Februario, non continuo labaſcit Chronotaxis noſtra; quando a Martio A.U. 749. ad Februarium A.U.751. fere biennium excurrit, quod nobis ſatis erit. Conſuli etiam poſſunt Adnotationes in Librum 17. Antiquitatum, ubi monet vir eruditus ſermonem eſſe de pompa funebri, quae comitante Archelao ſtadia octo confecit.

X. Chronologia igitur noſtra minime nutat; quae vero hactenus animadvertimus confirmantur ex Libro 2. περὶ ἁλωσ. c. 1. *Archelao autem turbarum novarum initium attulit Romam proficiſcendi neceſſitas. Cum enim per dies ſeptem patrem luxiſſet, epulaſque funebres magnificas populo dediſſet . . . . . veſtem candidam induit, & procedit in templum, ubi variis laetiſque adclamationibus populus eum excepit . . . . Ceterum ſe in praeſentia abſtinere dicebat non ſolum a poteſtate exercenda, ſed etiam a nominibus, quibus inſignitur, donec ei ſucceſſionem confirmatum ibit Caeſar, qui ex teſtamento rerum omnium dominus eſt*. Cum vero qui maxime novis rebus ſtudebant ad ſupplicium repoſcerent auctores necis eorum qui aquilam auream e templo dejecerant: *valde quidem irritabatur Archelaus; verum quod Romam proficiſci omni feſtinatione pararet, ab ultione abſtinebat, utpote veritus ne multitudine ipſi infeſta reddita, ejus motu a profectione impediretur . . . . Itaque cum inſtaret Azymorum feſtum (Paſcha apud Judaeos appellatur, quo victimarum magna vis immolatur) ingens quidem ad templum hominum multitudo ex univerſa regione religionis ergo deſcendit*. Caedes poſtmodum conſecuta eſt, & unuſquiſque jubente Archelao domum ſuam ſe recepit dum feſtus dies ageretur, atque Archelaus profectus eſt. Septemdialis luctus Hebraeorum, ab antiquiſſimis uſque temporibus Joſephi Patriarchae, meminit Moſes Geneſeos c. 50. *Celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt ſeptem dies*; vulgatumque illud erat, *luctus mortui ſeptem dies*, Eccleſiaſtici c.22. Patet ergo paullo ante Paſcha vita functum eſſe Herodem, & vix feſto die exacto Romam profectum Archelaum.

XI. Do-

XI. Doctiſſimus Cardinalis Baronius Herodis mortem conjecit in An. U. 759. circa Paſcha, & trigeſimum ſeptimum annum prioris epochae & regni a Romanis collati repetit ab Actiaca victoria, & confirmato regno Caeſaris auctoritate. Verum hujuſmodi epocha Herodiani imperii latuit Joſephum, Philonem eo vetuſtiorem, & Nicolaum etiam Damaſcenum. Sane Joſephus anno trigeſimo ſeptimo ab Actiaca victoria exactum Ethnarcham Archelaum exhibet, & a Quirino cenſum peractum, L. 18. Antiqu. c. 3. *Quirinius poſt quam Archelai pecuniam addixit, & cenſui finem impoſuit, qui factus eſt anno trigeſimo ſeptimo poſt Caeſaris Actiacam victoriam &c.* Non igitur Herodis Magni mors eo anno, ſed multo ante conſignanda. Herodes quidem Antonianis rebus acciſis Rhodum ſe contulit, poſitoque diademate victoris Auguſti opem imploravit, & ab eo rex fuit confirmatus: non illinc tamen trigeſimus ſeptimus Judaici regni annus petendus. Enim vero viri longe ſapientiſſimi Chronologia ſibi non conſtat. Anno U. C. 759. circa Paſcha labebatur annus trigeſimus ſextus ab Actiaca pugna, cui abſolvendo deerant ſex menſes: atque hac ratione ſupremus annus Herodis illigandus eſſet ſequenti A. U. 760. verna tempeſtate, quod cum Baronianis calculis pugnat. Fuſius haec perſequitur Pagius Cardinalis Noriſii veſtigiis inſiſtens Appar. Chronolog. n. 106. & validiſſimis rationum momentis novam hanc epocham labefactat. Idem judicium eſto de Petro Poſſino contendente mortuum eſſe Herodem anno I. aeræ vulgaris, & Urbis 754. ut illinc eliciat annum Chriſti Natalem, quem putat fuiſſe ſuperiorem, Urbis 753. ut patet ex Epiſtola III. initio Propylaei ad Acta SS. Maii. Manus ibidem conſerit cum Natali Alexandro, ſed inauſpicato: ac mirari ſubit Poſſinum veluti palmare argumentum ſerio oppoſuiſſe Alexandro corruptum locum & annum quintumdecimum Herodis Aſcalonitae pueri Galilaeae praefecti, rem prorſus ineptam, ludicram, & jocularem. Crediderim ea chartis illinere minime auſurum fuiſſe ſi Pagium conſulere potuiſſet.

XII. At Herodes mortuus eſt An. U. C. 750. obiit enim eo anno quo contigit Lunae Eclipſis ſpectata Jeroſolymis nocte conſecuta vivicomburium Judae Sariphaei filii, & Matthiae Margolothi: ſiquidem jam aegrotabat. Atqui hujuſmodi Eclipſis, ut patet ex Aſtronomicis tabulis incidit in diem 13. Martii A. U. 750. quo anno regis interitus conſtituendus eſt ex tam illuſtri & certo charactere, cum annis hiſce non alia fuerit Eclipſis conſpicua. Reponimus tamen Eclipſim ſpectatam poſt ſupplicium Judae & Matthiae vel verum non fuiſſe Lunae defectum, vel

vel ſolidum annum praeceſſiſſe Herodis mortem. Populus inſolitum coeleſtium luminarium pallorem Eclipſim quandoque vocavit, quae reapſe, Aſtronomis docentibus, contingit tantum in plenilunio vel novilunio cum in eadem recta linea conſtituuntur tellus & luminaria. Solis obſcuritas, quo tempore Julius Caeſar a Bruto & Caſſio ceteriſque conjuratis vulneribus confoſſus interiit, Eclipſis fere viſa eſt: *Sol ipſe illud averſatus videtur*, ait Joſephus L. 14. Antiqu. c. 22. cecinitque Virgilius L. 1. Georg.

Sol tibi ſigna dabit; ſolem quis dicere falſum
Audeat? Ille etiam coecos inſtare tumultus
Saepe monet fraudemque, & operta tumeſcere bella.
Ille etiam extincto miſeratus Caeſare Romam,
Cum caput obſcurá nitidum ferrugine tinxit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Eclipſin vocat Dio L. 56. idem quod accidit in Auguſti morte ὁ ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε; & Herodotus diu antea defeciſſe Solem ſcribit cum Xerſes in Graeciam trajecit, ἥλιος ἐκλιπών. Quid? quod tenebrae in Chriſti Reparatoris noſtri morte, non raro vocantur Eclipſis, cum in Paſchali plenilunio, non Soli conjuncta foret Luna, ſed oppoſita, ut perſpicuum fiet conſulentibus clariſſimum Huetium, ceteroſque de Eclipſi a Thallo & Phlegonte memorata diſceptantes.

XIII. Non diu ante Paſcha obiit Herodes, & paullo poſt Archelaus Romam profectus eſt. Si ergo feſtus hic dies celebratus fuiſſet A. U. 750. verno utique tempore, Herodes vita exceſſiſſet ante initum annum Regni Romae collati trigeſimum ſeptimum, & ante trigeſimum quartum a nece Antigoni. Quod ſi dandum ſit veram fuiſſe Eclipſin Jeroſolymis ſpectatam poſt ſupplicium Judae & Matthiae, dicimus ab ea ad ſupremum tyranni diem labi ſolidum annum, videlicet ad Martium uſque ſequentis anni. Nam diuturno morbo laboravit Herodes, quem lenta febris exurebat πῦρ μαλακὸν. Reipſa poſtquam Joſephus L. 1. de Bello Jud. c. 21. narravit ſupplicio affectos aquilæ aureae deturbatores, ingentem texens Iliadem morborum Herodis, febrem ait qua corripiebatur vehementem non fuiſſe: *Poſt haec morbi vis per univerſum ejus corpus diffuſa variis doloribus id diſtrahebat. Nam febris quidem erat non tamen vehemens*. Trajecto quoque Jordane calidis Callirhoes aquis uſus eſt, ſi qua forte ſalutis ſpes, & medicinae faciendae locus ullus ſupereſſet. Interpres quidem ita Joſephum loquentem de Judaeis quibuſdam poſt regis obitum exhibet L. 17. Antiqu. c. 11. *Hi quoniam metu exercitus*

non

non auſi fuerant luctu honorare aquilae aureae violatores recens *neci traditos, tunc cum clamoribus & ejulatu in defunctum regem jactabant convitia quaſi in mortuorum ſolatium*. Sed τὸ *recens* de ſuo adjecit; nam Graece aliter hæc ſe habent ὑφ' Ἡρώδου ἀποθανόντας *ab Herode occiſos*. Si ergo vivicomburium revocatur ad An. U. 750. ob Eclipſin, ſolidus annus excurret uſque ad Herodis mortem; certe intervallum octo menſium poſcunt epochæ utriuſque regni Herodiani. Sin autem Eclipſis vera non fuit, nil vetat eidem anno 751. & vivicomburium & Herodis mortem illigare. Neque adverſarii conqueri poſſunt niſi injuria, quod nimis protrahamus poſt hanc Lunarem Eclipſin Herodis interitum; quandoquidem ipſi quoque cum Uſſerio, Pagio, & compluribus aliis exiſtimant obiiſſe illum poſtremis diebus Novembris, nono poſt Eclipſin menſe, ne aqua illis haereat propter annos regni diſertis verbis recenſitos. Nobis eadem de cauſſa fas erit poſt veram Eclipſin Martii An.U.750. ſequenti anno, eodemque menſe, Herodis mortem conſignare.

XIV. Herodianam Joſephi Chronologiam plerique carpunt, ſugillatque cum primis Harduinus occaſionem nactus ex oſcitantia amanuenſium, & laureolam in muſtaceo quaerens. Joſephus de rebus geſtis A. U. 706. diſſerens Antipatrum Judaeae Procuratorem a Caeſare conſtitutum ſcribit, atque ab Antipatro parente praefectum Galilaeae Herodem filium admodum adoleſcentem, quippe qui *quindecim annos* dumtaxat *natus erat*, L. 14. Antiqu. c. 17. νέῳ παντάπασιν ὄντι, πεντεκαίδεκα γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη: ita exemplaria. Corruptum tamen eſſe locum manifeſtum eſt: enim vero Herodes ſeptuageſimo circiter aetatis anno e vita migravit, teſtante Joſepho eum ſupremo conflictatum morbo cum annum fere ſeptuageſimum attigiſſet, L. 17. Antiqu. c. 8. περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ὤν. At ſi 15. annos natus erat A.U.706. profecto annus ſeptuageſimus & emortualis incidit in An. U. 761. quo nihil abſonum magis cogitari poteſt. Ecquis autem riſum teneat audiens Antipatrum ob Hyrcani tarditatem atque ſocordiam praefeciſſe Galilaeae puerum vix cuſtode relicto, & quindecim annos natum? Dignum ſane patella operculum! Itaque nullus eſt dubitandi locus quin mendum irrepſerit, vel auctoris heic dormitantis vitio, quod perſaepe uſuvenit (nec objiciendum exprobrandumque illi videtur cum tam facile excidat ιέ pro κέ) vel potius illorum oſcitantia aut temeritate qui opera excripſerunt. Fortaſſe rudiores cum forent, adoleſcentulum vocandum non eſſe exiſtimarunt ſi viceſimum quintum annum attigiſset,

eumque annis decem mulctarunt, & Hiſtoricum noſtrum foede vitiarunt. Sed neque aetas illa improvida & rerum imperita ferendo tanto oneri par fuit; neque a ſcriptorum uſu abhorret adoleſcentes eos dicere, qui viceſimum quintum agunt aetatis annum. Plurima congeruntur exempla tum in Apparatu Lamii P. 1. cap. 9. tum in Notis Joſepho adjectis, ex Dione, Polybio, ipſoque Joſepho. Satis ſit in medium attuliſse Cenſorinum: *Varro quinque gradus aetatis aequabiliter putat eſſe diviſos, unumquemque ſcilicet, praeter extremum, in annos quindecim. Itaque primo gradu uſque ad annum quintum decimum, pueros dictos, quod ſint puri, ideſt impubes: ſecundo ad triceſimum annum adoleſcentes ab adoleſcendo ſic nominatos.* Lib. ἀλωσ. cap. 8. legimus tantum κομιδῇ νέον valde adoleſcentem fuiſse tum Herodem. Maneat ergo An. U. 706. vigintiquinque annos natum Herodem Galilaeae praefectum fuiſse, & ſeptuageſimo aetatis obiiſse, videlicet An. U. 751.

XV. Uſserius quique ejus veſtigiis inhaerent opponunt nobis librum Hebraeorum ritualem inſcriptum מגילת תענית *Megillath*, *Taanith*, ideſt *volumen jejunii*. In eo haec leguntur e Schickardi verſione: *Septima dies in menſe Casleu . . . . feſtiva eſt, quoniam in ea mortuus Herodes qui odio perſequebatur ſapientes . . . . . Eſt etiam laetitia coram ipſo Deo cum improbi tolluntur e mundo.* Obiit ergo rex menſe Casleu, ideſt Novembri, non anno U. 751. ſed 750. Telum infringit Bernardus Lamius adnotans extitiſse quondam vetus volumen complectens tum jejunia, tum feſtos dies Judaeorum, ſed hodiernum eſse ſubleſtae fidei & ab imperitis Rabbinis obtrudi. Antiquus jejunii codex conſcriptus erat lingua Aramea, hoc eſt Chaldaica vel Syriaca, quemadmodum oſtenditur ex laciniis ex eo deſumtis & Talmudi paſſim inſertis: locus autem contra nos prolatus Hebraice Rabbinorum ſtilo eſt exaratus. Sed ſupina impoſtoris inſcitia apertius ſe prodit dum die ſeptima Casleu conſignat Herodis mortem fauſtiſſimam Judaeis ob ſublatum e medio tyrannum, cum eadem die adnotetur jejunium ob combuſtum a rege Joachino librum Baruchi, cujus auctor erat Jeremias. Qui fieri umquam potuit ut idem dies luctus eſset, ſqualoris, & jejunii, ſi cum ingenti populi laetitia recolenda erat mors Herodis? Itaque Joſephi potius genuinis & vetuſtiſſimis libris fidem habemus, quam volumini huic a veteratoribus ſuppoſito, longe recentiori, & inficeto.

XVI. Sed de Herodis liberis agendum: & Archelai quidem Hiſtoria pugnare prima fronte videtur cum temporum ratione hactenus con-

Digitized by Google

conſtituta. Is decimo Ethnarchiae ſuae anno pellitur ab Auguſto in exilium Viennam in Gallia, auctore Joſepho capite ultimo Antiquitatum: meminit quoque anni decimi hujus Principatus dum Vitae ſuae Hiſtoriam texit. Atqui exulare coactus eſt Anno U. 759. ex Dione Caſſio L. 55. Neceſse eſt igitur regnum auſpicatum eſse Anno U. 750. Herodis patris emortuali. Verum non conſtat quo regni vel ethnarchiae anno Archelaus ſit deturbatus, & Joſephus hic vel ſibi non conſtat, vel vitio excriptorum corruptus fuit. Nam etſi in Antiquitatibus & in Vita ſua decem regni hujus annos recenſet, decemque ſpicas in ſomniis viſas, quae imperii annos praemonſtrare dicebantur, nihilominus Lib 2. de Bello cap. 5. prodit Archelaum nono anno regno excidiſſe, novemque tantum ſpicae memorantur. Hac ratione diſſidium Joſephi & Dionis componitur, ac neuter nos cogit ut alio tempore Herodis obitum figamus. At quoniam Joſephus fortaſſe palinodiam canit, & quod ſemel in priore Opere de Bello Judaico ſcripſerat bis poſtea incudi reddens retractat, non eſt a veritate alienum, Archelaum regno pulſum anno decimo, qui fuit Urbis 760. ex Joſephi ſupputatione, cui potius auſcultabimus quam Dioni Tertii Chriſtiani Seculi ſcriptori, ac longe minus in Judaica Hiſtoria verſato. Animadvertere eſt operae pretium, Quirinum, Archelao ab Auguſto loco moto, miſſum in Judaeam fuiſſe ad opes dejecti Principis colligendas, cenſumque populi agendum, redacta tunc in Provinciam Judaea, everſoque funditus ejus regno. Contigit id, ait Joſephus L. 8. Antiqu. cap. 3. anno trigeſimo ſeptimo ab Actiaca victoria; qui annus Autumno inchoatus complectitur poſteriores menſes anni U. 759. & priores ſequentis 760. Cumque hoc anno XXXVII. poſt pugnam Actiacam pulſus in exilium fuerit Archelaus, nil mirum ſi non eodem pacto ſcriptores rationes ſubduxerint.

XVII. Contendunt plerique errorem irrepſiſſe in Codices Antiquitatum L. 18. cap. 6. circa mortem Philippi Herodis Magni filii Trachonitidis dynaſtae: *Tunc etiam Philippus qui Herodis frater erat* (Antipae videlicet) *vita deceſſit, anno quidem Tiberii Principatus viceſimo, poſtquam vero ipſe praefuiſſet Trachonitidi, & Gaulanitidi, atque etiam Batanaeae, anno trigeſimo ſeptimo*. Conſulendae ſunt Animadverſiones huic loco ſubjectae ab Havercampo, cum Scaligeri aliorumque conatu in verbis reſtituendis, quaſi legendum ſit cum Rufino *anno Tiberii viceſimo ſecundo*. Cum vero, ut illic videre eſt, Graeci omnes MSS. Codices, & Zonaras, viceſimum praeferant, laterem lavant quotquot locum caſtigant atque adeo diſcerpunt. Recte Scriptor

accuratiſſimus viceſimo Tiberii anno conjungit triceſimum ſeptimum Principatus Philippi. Viceſimus Tiberii annus labitur uſque ad Auguſtum Anni U. 787. Chriſti 34. Annus autem triceſimus ſeptimus ab Herodis morte conſignata menſe Martio An. U. 751. inchoatur menſe Martio An. U. 787. Chriſti 34. Quapropter ſi Philippus An. Chriſti 34. vel Aprili, vel Majo &c. vel maxima Auguſti parte mortuus fuerit, vita functus dicetur anno Tiberii XX. & dynaſtiae ſuae XXXVII. Nobiſcum ſentit doctiſſimus Pagius Joſephi verba, minime, ut Critici complures, dilanians: Quid? quod prolato Hiſtorici loco ad An. Chr. 37. num. 3. ne ſubdubitaſſe quidem videtur de anno Tiberii viceſimo. Cur autem tanto conatu, irrito tamen, hunc nodum ſolvere nitatur Bernardus Lamius, animumque pene deſpondens fruſtra ſudet, caſtigandaque ea verba cum Scaligero ſtatuat, prorſus ignoro: ubi enim viceſimo ſecundo anno Tiberii mortuus dicatur Trachonitidis toparcha, videlicet ab Auguſto menſe anni Chr. 35. ad Auguſtum an. Chr. 36. exacto Principatus ſui anno XXXVII. mortuus erit, quod Lamianis etiam calculis, & Herodianae Chronologiae adverſatur.

XVIII. Extat nummus Herodis Antipae, cujus tempore Jeſus Chriſtus Cruci ſuffixus fuit pro humani generis ſalute; percuſſus eſt autem nummus anno Antipae XLII. ſub Cajo, ſive Caligula Imperatore. Prior pars praefert haec verba intra lauream ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ ΓΕΡΜ ΣΕΒ *Cajo Caeſar. German. Aug.* in averſa conſpicitur ramus palmae cum epigraphe ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ *Herodes Tetrarcha*, & anno L ΜΓ, ideſt XLIII. Graeci veteres annos vocabant *Lycabantas* ex Heſychio & Macrobio, ut inter eruditos viros convenit, teſte Bernardo Lamio, & pro ſuo *lambda* uſi ſunt ſigno L. Agit de hoc nummo Lamius in Appar. Chron. P. 1. c. 9. n. 2. & Cardinalis Noriſius in Epiſtola ad Antonium Pagium, tomo 2. poſtremae editionis Veronenſis. Hujuſmodi annus 43. Antipae difficile componi poſſe videtur quibuſdam cum morte Herodis Magni ejus patris, a qua initium ſumit epocha Antipae, niſi labefactetur evertaturque prorſus Chronologia noſtra, cum Antipas anno aerae vulgaris 39. ut putant exutus fuerit Tetrarchia Galilaeae a Cajo Caeſare in Campania degente. Si enim triennio ante communem aeram obiit Herodes Aſcalonites, nonniſi quadraginta duos annos filius Galilaea potitus eſt. Antea igitur conſignandum eſt Tetrarchiae exordium, & patris funus. Reſpondemus tamen anno communis aerae 39. Antipam ex Oriente ad Campaniae littora appuliſſe, tertio Caii Caeſaris anno; ſed tunc non fuiſſe Principatu exutum, verum ſequenti, quarto Impe-

Tab. I. fig. I.

Imperii ejuſdem, & aerae Chr.40. Joſephus Antiqu. Lib.19.cap.7. narrat Tetrarchiam Antipae acceſſiſſe Agrippae Caeſaris beneficio anno IV. Caii, qui iniit Anno 40. aerae noſtrae, menſe Martio: porro ſimul cum quarto Caii anno coepit annus XLIII. Antipae a patris morte. Nil igitur vetat fuiſſe tum cuſos in Galilaea nummos obſignatos anno XLIII. Herodis Tetrarchae, vere, vel aeſtate, antequam Agrippae collata eſſet Tetrarchia. Itaque nummus ſententiae noſtrae minime adverſatur.

XIX. Tum Antipas, tum Fortunatus libertus ab Agrippa in Italiam miſſus cum litteris adverſus patrui Antipae & Herodiadis ſororis, quae Antipae nupſerat, molitiones, Cajum convenerunt in Campania agentem apud Baias oppidum amoeniſſimum; ſed de Tetrarchia dejecti poenas tandem dederunt inceſtarum nuptiarum, obtruncati J. Baptiſtae viri ſanctiſſimi, & Jeſu Chriſti ludibrio habiti: Ita de Antipa & Fortunato Joſephus Antiqu. L. 18. cap.9. *Uterque etiam Dicaearchiam adpulit, & Cajum apud Baias repererunt . . . . ademtam illi Tetrarchiam Agrippae regno adjecit, itidemque pecuniam Agrippae donavit, & Herodem perpetuo exilio damnavit.* At quae ſimul heic narrat, non ſimul eveniſſe declarat ſequenti Libro 19. capite poſtremo, annoque Caligulae Quarto Galilaeam tandem Agrippae regno acceſſiſſe diſerte tradit, dum de hujus morte loquitur: *Vitam finivit annum agens aetatis quartum & quinquageſimum, regni vero ſeptimum. Quatuor namque ſub Cajo Caeſare annis regnaverat, Philippi quidem Tetrarchia potitus per triennium, quarto vero Herodis quoque Tetrarchia adjuncta; tribus porro reliquis ſub Claudii Caeſaris imperio exactis.*

XX. Ita quoque Uſſerius ſciſcit in Annalibus, An. aerae Chriſt. 39. & 40. Noriſius vero in Epiſtola ad Pagium de hoc Antipae nummo, de cujus vetuſtate ſubdubitare viſus eſt, Uſſerium laudat, & ejus ſententiam minime improbat. Doctiſſimus tamen Cardinalis arbitratus Herodem Magnum ſupremum diem egiſſe A. U. 750. Novembri menſe, & Antipam anno Chr. 39. Novembrem in Campania, quo appulerat, a Cajo Imperatore Tetrarchia exutum, ut ad quadrageſimum tertium Principatus annum in numiſmate ſpectatum Antipam deducat, hanc ejus epocham arceſſit a menſe Niſan qui praevertit Herodis Magni morti: hac enim ratione quandoque Hebraei auſpicantur regum ſuorum annos, ut locuples teſtis eſt Scriptor Libri Primi Machabaeorum. Ita fit, ut Anno Chr. 39. verna tempeſtate inchoetur annus 43. Tetrarchiae Galilaeae, additis videlicet quattuor annis ante aeram Chriſtianam lapſis, triginta

ginta

ginta octo aliis ejuſdem aerae, & prioribus menſibus ſequentis 39. Quicquid eſt, nobis quoq; praeſidio eſse poteſt Noriſii ſupputatio. Ut enim ille Tetrarchae hujus Principatum non a Novembri auſpicatur, ſed Hebraeorum more ab antecedente Niſan, ita nos eadem ratione ab eodem menſe annos enumerabimus, cum Herodes Aſcalonites deceſserit paullo ante Niſan Anni U. 751. Nec abludit a vero Hebraicam epocham in numiſmate exhiberi, quando nullis illic inſculptis ſimulacris Caeſaris aut Tetrarchae, Judaici mores rituſque ſub oculos cadunt.

XXI. Quid vero vetat Antipae ad Italiae littora appulſum revocare ad An. U. 793. Chriſti 40. Caligulae 4. ſiquidem eo quoque Imperii ſui anno poſtremo Caeſar in Campaniam ſe contulit? Plinius id teſtatur Lib. 32. cap. 1. ſcribens de echineide: *Tenuit etiam noſtra memoria Caii principis ab Aſtura Antium navigantis, ut res eſt, auſpicabilis piſciculus: ſiquidem in Urbem reverſus ille Imperator, ſuorum telis confoſſus eſt*. Non ita facile ex veterum monumentis erui poteſt annus navigationis Antipae ab Italico itinere abhorrentis poſt Agrippae adventum, & ingratiis Italiam petentis, ut uxori morem gereret: ac optime fieri potuit, ut non multis poſt eum menſibus Agrippa Romam verſus iter inſtituerit, ubi verſabatur cum Cajus Caeſar necatus eſt, quod non ita multo poſt Agrippae adventum eveniſse conjecturam facimus. Profecto quae contra haec afferri poſſunt non magnum nobis negotium faceſſunt: ſed ea pluribus perſequi ſupervacaneum fuerit, cum ſatis ſit Antipam Tetrarchia excidiſse anno quarto Caii Caeſaris, inito An. Chr. 40. quo pariter inchoatur annus 43. Tetrarchiae Herodianae poſt Aſcalonitam vita functum A. U. C. 751. circa Martium. Vir Cl. Nicolaus Toinardus conſimile numiſma Antipae vulgavit praeferens annum XXXIV. ſive L ΛΔ, cum epigraphe ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, & palma: legitur autem in parte altera intra lauream ΤΙΒΕΡΙΑϹ.

C A-

CAPUT II.

De Cyrini Deſcriptione, ejuſque tempore. Syriae Praeſides: Jani templum ab Auguſto clauſum: Tertulliani locus contra Marcionem. Natus videtur J. Chriſtus potius Anno U.C. 749. Quam An. U. 748.

I. ACTURUS de prima Cyrini Deſcriptione, cujus meminit S. Lucas cap. 2. Evangelii cum tempore Nativitatis J. Chriſti conjuncta, quaeque in diverſas abire ſententias complures coegit, nonnulloſque ad ſcopulos allidere, figam primum annos Praeſidum, qui appetente tempore Nativitatis hujus tamdiu votis omnibus expetitae Syriam adminiſtrarunt. Pluribus praetermiſſis ad ſuperiores annos ſpectantibus, quorum ſeriem texuit Noriſius Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis, cap. 16. illud animadvertendum eſt, poſt Marcum Titium miſſos fuiſse cum imperio in Syriam, C. Sentium Saturninum circa An. U. 746. ut doctiſſimus Cardinalis oſtendit ex Herodiana Chronologia, Pagio ſummo viro probante in Appar. Chronolog. & P. Quinctilium Varum circa An. U. 748. Saturninus ad cujus tempora ob Tertulliani verba Lib. 4. contra Marcionem, revocant non pauci Deſcriptionem Cyrino tributam, Conſulatum geſſit A.U. 735. ejuſque collega fuit Q. Lucretius Veſpillo, ut conſtat ex faſtis. Qui vero Conſul proceſſit cum Sex. AElio Cato An. U. 757. aerae Chr. IV. Saturninus & ipſe fuit, ſed a priore diverſus, vocatuſque Cajus Sentius, cum illius praenomen eſset Cneius. Ac Cneius quidem Sentius Saturninus in collegium XV. virum cooptatus, praeerat biennio poſt Conſulatum ludis Secularibus ab Auguſto editis A.U. 737. illumque exhibet epigramma a Noriſio ibidem prolatum §. 10.

LVDI . SECVLARES . QVINCT
IMP. CAESARE . DIVI . F. AVGVSTO
C. SENTIO . C. F. C. N. SATVRNINO
M. CLAVDIO . M. F. M. N. MARCELLO MAG. XV. VIR
M. FRIFIO . M. F. STRIGONE
D. LAELIO . D. F. D. N. BALBO

Summis eum laudibus effert Vellejus tamquam priſca virum ſeveritate, ſummaque conſtantia.

II. Saturninus in Syriae adminiſtratione lampada tradidit P. Quinctilio Varo, auctore Joſepho Lib. 17. Antiqu. cap. 7. *Quinctilius Varus* *ſuc-*

ſucceſſor Saturnino miſſus ad gubernandam Syriam: ex quo etiam conſtat Antipatrum Herodis filium Romam profectum eſſe cum Saturninus Syriae praeeſset, in Judaeam autem revertiſſe Praeſide Varo. Vellejus Saturninum commendans longe aliter de Varo ſentit, ejuſque tum ſocordiam tum avaritiam carpit verbis, quae adnotentur, dignis: *Varus Quinctilius illuſtri magis quam nobili ortus familia, cum ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior, otio magis caſtrorum, quam bellicae aſſuetus militiae, pecuniae vero quam non contemtor, Syria cui praefuit declaravit, quam pauper divitem ingreſſus, dives pauperem reliquit*. Celebris eſt apud Hebraeos, & Romanis luctuoſa Variana clades in Germania, quam Pagius conjicit in An. Chr. IX. Urbis 762. cum temeritate & negligentia ducis, caeſis ab Arminio legionibus, mortem ſibi Varus conſcivit. Hanc Auguſtus acerbiſſimo ferens animo, caput interdum foribus illidebat, vociferans *Quinctili Vare redde legiones*, ut ait Suetonius.

III. Permagni intereſt pro vindicanda ab impiorum cavillis & obtrectationibus Evangelica Hiſtoria, conciliandiſque profanis Scriptoribus cum Canonicis atque Divinis, recte quantum fieri poteſt, figere tempus Syriacae Vari & Saturnini praefecturae perperam pridem conſignatum. Nummorum ope eo tandem ventum eſt, ut nemo in temporum doctrina verſatus jam dubitet, quin ante Autumnum A.U. 748. Varus ad Syriae littora adpulerit, ubi Praeſidem etiam tum agebat cum Archelaus, Herode parente vita functo, illinc ſolvit Romam conceſſurus poſt Paſcha A. U. 751. quemadmodum fidem facit Joſephus Lib.17. Antiqu. cap.11. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis illuſtratis, laudato loco, §.XI. Vari in Syriam adventum conſtituerat A.U. 750. Sed qua erat in re Chronologica atque nummaria eruditione & acumine, morumque integritate & candore, metachroniſmum facile animadvertit, & palinodiam canere ſibi gloriae duxit in Epochis Syro-Macedonum, Diſsert.3. cap.7. *Itaque ea mibi Praeſidum Syriae Chronologia erronee ibidem deſcripta, ita reformanda eſt, ut Agrippa A.U.741. ex Syria in Urbem revocato, M. Titius eamdem provinciam cum imperio tenuerit, cui ſucceſſor poſtea miſſus eſt ab Auguſto C. Sentius Saturninus: neutrius vero regiminis annos definire auſim ne iterum in anachroniſmos incidam. Hoc ſcio Quintilium Varum A.U. 748. fuiſſe legatum Propraetorem Syriae, ac duobus inſuper annis ſequentibus*. Prolato autem loco Taciti ex Lib.5. Hiſtor. de Quinctilio Varo Syriam adhuc poſt Herodis obitum obtinente, tandem ſubdit: *Viri eruditiſſimi*

mibi-

mihique amiciſſimi Nicolaus Toinardus in Hiſtoria Herodiadum, ac Antonius Pagius in Animadverſionibus ad magnos Eccleſiae Annales, omnia haec recto annorum ordine recitabunt; ſiquidem cum utroque laudatos proxime nummos Vari ac Silani communicavi.

IV. Nummi de quibus agitur ab Antiochenis ſcalpti praeferunt caput Jovis laureatum ſine epigraphe; in averſa vero parte imaginem Antiochiae, cum palma Syriae ſymbolo, collibus inſidentis, ad cujus pedes Orontes fluvius eam alluens viſitur cum epigraphe ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ *ſub Varo Antiochenſium*. Ex tribus id genus nummis a Noriſio exhibitis, Diſſert. 3. de Epochis Syro-Macedonum, prior his annorum notis inſignitur EK, videlicet XXV. Epochae Antiochenae; alii ϚK. XXVI. & ZK. XXVII. Prior Florentiae ſpectatur in cimeliis clariſſimae gentis Riccardiae, quam honoris cauſſa nomino, ampliſſimi dignitate doctrinaque viri Cardinalis Noriſii verba uſurpans: *Prior nummus cum notis* EK. *Anno* XXV. *Imperii Auguſti in Syria, ſervatur hic Florentiae in ſcriniis Illuſtriſſimi Marchionis Franciſci Riccardi, duplici legatione Romana, ac Germanica, juſſu Sereniſſimi Magni Ducis Etruriae, pari ſplendore ac laude peracta, ac ſummis in aula miniſteriis domi foriſque celebrati*. Alios Vari nummos memorat Pagius Riccardianum laudans in Apparatu ad A. U. 748. quo ignoratum antea tempus appulsûs Vari in Syriam conſignat, praefecturam certe Syriacam figit Vir quo nemo penitius reconditas haſce litteras introſpexit, feliciuſque faſtos evolvit & annos digeſſit.

Tab. I. fig. 3. Tab. I. fig. 2. & 4.

V. Ex anno Antiocheno XXV. elicitur Varum Syriae praefuiſſe ante Autumnum A. U. 748. bene ſubductis rationibus cum Pagio & Noriſio: inchoanda eſt enim aera Antiochena Auguſti ab Actiaca pugna, quae contigit Septembri menſe A.U. 723. Auguſto Caeſare III. & M. Valerio Meſſala Coſs. idque exploratum jam videtur ex aliis Praeſidum Syriae numiſmatis, ut Silani, teſte Pagio in Apparatu num. 103. & 104. & ad An. Chr. XIV. ita ut Noriſius recantare quoque coactus ſit in Diſſertatione 3. de Epochis, quod in Cenotaphiis illuſtratis ſcripſerat, deducendos annos Imperii Auguſti in Syria ab An. U. C. 724. Cum igitur ab Autumno An. U. 723. ad Autumnum A. U. 748. fluant anni XXV. eademque tempeſtate Antiocheni auſpicarentur annum XXVI. conficitur Varum ante Autumnum Anni U. 748. Syriae praefuiſſe. Ab Actiaca Victoria peti annos Monarchiae Auguſti obſervat Dio L. 51. quos fuiſſe 44. refert L. 56. atque huc pariter ſpectant Suetonius in Octavio cap. 8. Victor in Epitome, & Eutropius. Non ita Alexandrini; hi enim a ſequenti An. U. 724.

Tab. I. fig. 5. & 7.

U. 724. capta Alexandria, Auguſtorum epocham auſpicantur, ut ex Cenſorino de die Natali, Noriſius & Pagius nos admonent.

VI. Conſtare puto Varum An. U. 748. Syriae Praeſidem fuiſse: an autem illuc ſe contulerit eodem anno, an ſuperiore, quaeſtio eſt ſubobſcura & implexa, nec dirimi facile poteſt. Nulli quoque ſunt certi characteres pro figenda adminiſtratione Syriaca Saturnini Vari deceſsoris: nam quamquam Joſephus Lib. 16. Antiqu. cap. 12. tradit Herodem in Italiam tranſmiſiſse Titio Syriae Praeſide, & poſt reditum narrat continuo Saturninum Syriam gubernaſse, res adhuc tenebris offunditur iiſdem, cum nihilo certiores nos faciat de tempore hujus Italicae navigationis Herodis, quae tertia & poſtrema fuit. Dicam quod veriſimillimum videtur. Herodes Aſcalonites poſtquam regno auctus fuit, ter tranſmiſso mari in Italiam ſe contulit. Primam navigationem Noriſius de Cenotaph. Piſan. Diſsert. 2. cap. 6. revocat ad An. U. 736. vel 737. alterius tempus ſe feliciter aſsequutum teſtatur, & certiſſimis characteribus conſignat A. U. 742. cujus Octobri labente rex in Judaeam redierit. Incompertum exiſtimat vir maximus tempus quo Herodes tertium in Italiam tranſmiſerit: ceterum non levis eſt conjectura, niſi egregie fallor, circa Annum U. 745. id contigiſse. Vix Anno U. 743. in Syriam pervenerat; non igitur ſequenti 744. iterum ſolvit e Syria Romam petiturus; & Salianus in Herodiana Chronologia multa peccans jure vapulat, quod utrumque iter conjungat, irrideturque ab eruditiſſimo viro cum Judaeorum regem veluti tabellarium nobis obtrudat, citatis jumentis vel tranſmiſso mari, continenter veſtigia relegentem. Eadem de cauſsa veriſimilius exiſtimo A. U. 745. quam 744. Judaea profectum eſse, tametſi fieri potuit ut A. 744. ſolverit, & ſequenti verna tempeſtate vel aliquanto etiam ſerius rurſum in Judaeam conceſserit: atque idcirco Anno circ. 745. haec poſtrema navigatio jure conſignabitur. Quod enim pertinet ad annum 746. & multo magis ad An. 747. nullus relinquitur dubitandi locus, ne Sentii Saturnini Syriaca praefectura anguſtis adeo cancellis concludatur. Saturninum Syriam adminiſtraſse minimum triennium admodum conſentaneum eſt Auguſti inſtituto; ſiquidem Maecenas ei auctor fuerat ex Dione Lib. 52. ut qui praeerant *neque minus triennio in provinciis, neque plus quinquennio magiſtratum obirent*. Cum igitur An. U. 748. Varus Syriam adminiſtraret, Saturninus eo ſe contulerit neceſse eſt anno ſaltem 745. Id exploratum videtur Anno U. 744. M. Titium, & An. U. 748. Varum Syriae Praeſidem fuiſse, & Syriacae Saturnini praefecturae initia circa An. U. 745. conſtitui oportere.

VII. Ne-

VII. Neque fruſtra has ego apud me rationes deputo: hinc enim intelligimus quiſnam Syriae Praeſidem, ageret dum humani generis Reparator in lucem eſt editus. Vel enim Dekerium, Petavium, Noriſium, Natalem Alexandrum, alioſque clariſſimos viros, quibus auſcultamus, ſequamur, vel Henſchenium, Schelſtratium, Pagium, Blanchinium, pro certo habendum eſt J. Chriſtum ortum eſse dum Quinctillus Varus Syriae praeerat. Quirinus, vel Cyrinus, vel Cyrenius, ſtatim ac Archelaus ab Auguſto e regno deturbatus in exilium pulſus eſt, Praeſes in Judaeam Syriae adtributam mittitur, Archelai opes in publicum fiſcum refert, cenſumque agit, quae omnia plane conſtat peracta eſse A.U. 760. *Triceſimo ac ſeptimo anno poſt cladem Antonio apud Actium a Caeſare illatam*, ut ait Joſephus Lib. 18. Antiquit. cap. 3. Eo igitur anno figenda Syriaca adminiſtratio Quirini, non paucis a nato Servatore annis elapſis. Atque hac fere ratione ſubacto viri ingenio luxatam magnorum Eccleſiae Annalium Chronologiam horum temporum reſtituendam inſtaurandamque improbo labore curarunt, & Salianum in Evangelica & Herodiana Hiſtoria multa turbantem perſtrinxerunt. Quis autem inter Varum & Quirinum Praeſes Syriam gubernaverit, nos fugit: neque enim tamdiu in ea egit Varus eidem decennium & eo amplius praefectus, contra Auguſti & Maecenatis ſcita, ut adnotarunt Noriſius & Pagius in Appar. n. cxxxiii. falliturque Montacutius & quotquot Varo Quirinum ἀμέσως ſubſtituunt. Saturninus Tab. I.
quidam ante Quirinum in nummis exhibetur: ac de illo fortaſſe loquitur fig. 9.
Tertullianus adverſus Marcionem.

VIII. Nihil hinc tamen licet extundere, vel contra Cyrini nomen quod praeferunt Codices S. Lucae, vel contra conſtitutam Chronotaxin Praeſidum Syriae. Legimus in Evangelio S. Lucae cap. 2. *Haec deſcriptio prima facta eſt a Praeſide Syriae Cyrino*, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: Graeca vox admonet non ita preſſe & religioſe accipiendum eſſe τὸ *Praeſide* vulgati interpretis, ut non poſſit ad alium deſignandum Quirini magiſtratum pertinere. Praeterea nihil nos cogit haec ita interpretari, ut Cyrinus Deſcriptionis tempore Praeſidem ageret: ſatis enim eſt ſi dixerimus factam fuiſſe a Cyrino vocato Praeſide ob Syriacam praefecturam poſtea conſequutam, & propter quam notior erat quam ut a quoquam ignorari poſſet. Hac ratione (utar exemplo Petri Poſſini S. J. in Epiſtola inter inſertas Propylaeo ad Acta Sanctorum Maii,) *Hiſtorici rerum Perſicarum dicunt Dario Hiſtaſpis regi Perſarum duos fuiſſe filios, prio-*

 rem

rem Artobarzanem, alterum Xerxem, nullo illos ideo culpante quod patrem Artobarzanis abſolute regem Perſarum vocent, cum tamen Darius illum genuerit antequam rex Perſarum eſſet: Demum ſemel tantum Cyrinus Syriae Praeſidem agens Judaeos deſcripſit, quo fit ut ἀπογραφὴ Cyreniana Lucae *prima* vocata alia ſit ante ejus praefecturam ordinariam conſignanda ſuperioribus annis vel Saturnini vel Vari. Non ergo licuit Henrico Valeſio in Euſebii Caeſareenſis H.E. L. 1. c.5. Quirino ex Evangelico textu expuncto, Saturninum, ut auſus eſt, reſtituere, quaſi error Judaicorum, vel Graecorum excriptorum vitio irrepſiſſet. Nec vero fas eſt cum Theodoro Beza apud Lamium Appar. Chronol. P. 1. cap. 10. & Huetio, Demonſtr. Evang. Prop. 9. c. 10. *Quinctilium* legere Cyrino abire juſſo, contra Codicum fidem, & Evangelica verba ſeculorum omnium religione conſecrata ſolicitare. *Omnes igitur* inquit Huetius, *omnino extricaverimus difficultates ſi apud Lucam pro* κυρηνίου *legamus* κυϊντιλίου *quod facile patitur ſimilitudo nominum, & characterum affinitas*. Scilicet pro tuenda Evangelicae Hiſtoriae veritate & illius cum profana conſenſione, danda eſt Criticis haec venia ut ſuo periculo Canonicorum Scriptorum verba minus aperta ad lancem acuti illius quo pollent judicii expendant!

IX. Satius profecto foret, ſi Quirinus alio amandandus eſſet, magiſque proſpiceretur ſacris Voluminibus, quae ſarta tecta ſervare par eſt, in Georgii Hervvarti, Henſchenii (Exercit. 1. de Anno Paſſionis Chriſti, in Propylaeo) aliorumque ſententiam concedere, qua nodi quilibet ita ſolvuntur, ut nulla ſuperſit difficultas in re, cujus nullum exitum inveniſſe quidam videntur. *Prima*, inquiunt eruditi viri, deſcriptio dicitur, ideſt *prior* ea quae a Quirino eſt inſtituta, *prior* Quirini praefectura, prior Quirino Praeſide Syriae: ac πρώτη idem eſt atque προτέρα, quod ſaepe alias uſuvenit. Lucae verba cap. XI. v. 26. ubi ſermo eſt de immundo ſpiritu qui adſcitis ſeptem nequioribus revertitur, vulgatus interpres reddit, *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, cum verbum verbo reddendo vertere debuiſſet *pejora primis* χείρονα τῶν πρώτων. Matthaei quoque cap. XII. v.45. eadem habentur, & conſimilia Matth. XXI. v. 36. quae ita legimus *iterum miſit alios ſervos plures prioribus* cum Graeca habeant *plures primis* πλείονες τῶν πρώτων. Triginta adjicit loca Hervvartus, Henſchenio vade; ut perſpicuum videatur vocatam primam Cyrenianam apographem, Graecarum vocum vi ſpectata, eſſe deſcriptionem Cyreniana priorem. Noriſius in Cenotaph. Piſan. Diſſert. 2. miratus emunctae

na-

Digitized by Google

naris viri ſolertiam, non deſcendit in illam, quod nova foret, non tamen configere audet, cum rem ceteroqui implexam facillime ſolvat, & Evangelicam Hiſtoriam impiorum ſcommatis & maledictis petitam in tuto ita collocet, ut ne hiſcere quidem poſſint. *Hanc tamen alteram expoſitionem verborum Lucae ita refero, ut nec probem, nec improbem*. Ut ut ſit, Hervvarti interpretatio longe praeſtat Valeſii & Huetii auſibus, eamque unam J. Clericus amplectitur in Hiſt. Eccleſ. agens de prioribus Chriſti annis.

X. Fac tamen ſub J. Chriſti Nativitatem deſcriptos a Quirino fuiſſe Judaeos, quid vetat amabo te actum id dicere ſuperiorum Praeſidum Vari aut Saturnini aetate, cum eo a Luca Praeſes recte vocari potuerit quod Syria provincia, redacto in ordinem Archelao, tandem ſit demandata? Neque ſcrupulum injiciat ob vocem ἡγεμὼν moroſus aliquis verborum aucupator contendens Deſcriptionis tempore Quirinum Praeſidem dici. Enimvero Felix quamvis Procurator tantum, ab eodem S. Luca in Actis Apoſt. c.24. ἡγεμὼν nuncupatur, & vetuſtiſſimus Chriſtianae religionis aſſertor Juſtinus M. Cyrinum appellat ἐπίτροπον *Procuratorem*. Quando autem Juſtini meminimus, commodum huc cadit ejus verba in Dialogo adverſus Tryphonem proferre pro Cyrini deſcriptione, cum ita vendicet veterem S. Lucae lectionem, & antiquior ſit Tertulliano eam Saturnino adſcribenti, quod fucum fecit Valeſio: *Cum primus ille cenſus ſub Cyrenio tunc ageretur, aſcendit* (Joſephus) *Nazaretho, ubi domicilium habebat, Bethlehemum* ἐπὶ κυρηνίου. Quiriniana ergo eſt haec apographe ſi Hervvarto minime accedimus, & Juſtinum ſecundi Eccleſiae ſeculi ſcriptorem praeeuntem ſequimur. Satis erit eum mitti in Syriam cum extraordinario imperio, ineunte Ann. U.C. 748. ut Saturnino quoque deſcriptio tribui poſſit cum Tertulliano.

XI. Ut probe tempora Cyrenianae apographes conſtituantur, non abs re fuerit, facem praeferentibus Noriſio de Cenotaph. Piſan. Diſſert. 2. & Pagio Apparat. nu. 138. & 139. paucis diſſerere de pace toto orbe parta, qua Deſcriptio, iter Deiparae Bethlehemiticum, & Annus Chriſti natalis illuſtrantur: ſiquidem *toto orbe in pace compoſito* verae aeternaeque pacis ſtatorem J. Chriſtum in lucem prodiiſſe fidem facit Romanum Martyrologium, quod Noriſius conſtare ait Patrum traditione. Unum profero Oroſium ita de Natali Anno loquentem L. 7. Hiſtor. cap. 2. *Qui annus quantis, quam novis, quamque inuſitatis bonis abundaverit, ſatis etiam me non proferente compertum* ha-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

haberi arbitror ; toto terrarum orbe una pax omnium, non ceſſatione, ſed abolitione bellorum, clauſae Jani geminae portae, extirpatis bellorum radicibus, non repreſſis, cenſus ille primus & maximus fuit, cum in hoc unum Caeſaris nomen univerſa magnarum gentium creatura juravit, ſimulque per communionem cenſus, unius ſocietatis effecta eſt. Svetonius Auguſtum c. 22. ob pacem ubique gentium inſtauratam commendat : *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita Urbe, memoriam ante ſuam, clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clauſit*. Critici quidam; eſt enim genus hominum, quod non raro verborum aucupia conſectatur; legendum cenſent *tertio clauſit*, non vero *ter clauſit*; inepte prorſus. Animum adjiciunt ad voces illas *ſemel atque iterum*, quibus conſentaneum putant *τὸ tertio*, negliguntque *ſpatium illud multo brevius*, quo plura contulit in Romanum populum beneficia unus Auguſtus pace non ſemel neque bis, ſed ter, quaſi poſtliminio revocata, Janoque eo imperante pluries occluſo, quod ab Urbe Roma condita uſque ad Annum ejuſdem 519. T. Manlio Conſule, bis tantum contigerat. Itaque *ter clauſit* ſcripſit Svetonius, ut etiam, Noriſio teſte, habent optimi Mſs. Codices Laurentianae Bibliothecae, & in margine Svetonii Romanis typis cuſi An. Chr. 1474. adnotavit vir ornatiſſimus Angelus Politianus ; quod confirmant ex Dione Baronius, Lipſius, Caſaubonus, Noriſius, Pagius.

XII. Jam vero Jani templum clauſum ab Auguſto tertium, & univerſim quintum, ſi res altius repetatur, prodituro in lucem orbis Reparatore palam faciamus. Numa rex omnium primus aereas belli portas clauſit; iterum T. Manlius Conſul poſt primum bellum Punicum, ex Livio, ante Auguſtum. Octaviano imperante clauſa eſt Jani aedes primum poſt Actiacam victoriam An. U. 725. iterumque Anno U. 729. poſt Cantabricam. Noriſius haec fuſius perſequitur, & propter bella Rhaetica, Liguſtica, Pannonica, Germanica, aliaſque turbas, quae Romanum Imperium miſcebant, animadvertit non potuiſſe cludi tertium Jani fores ab Auguſto ante Annum U. C. 748. *Anno inſequenti Urbis Conditae 748. nuſquam bella a Romanis geſta memorantur. Dio tantum apud Zonaram eo anno Armeniae tumultus recitat, quos tamen Auguſtus Artavaſde Rege Armeniis impoſito, ſedavit. At ex hiſtoria rerum Caii Caeſaris conſtat A. U. 752. bellum erupiſſe ..... Hinc cum ab Anno Urbis 748. ad An. 751. nulla nobis a quoquam Scriptore Romanorum bella prodantur, liceat ſuſpicari eo triennio Jani*

Jani fores tertio ab Auguſto clauſas fuiſſe. Ita vir longe eruditiſſimus, cui Pagius accedit. Anno igitur U. 748. vel A. U. 749. potius, ob Armeniae turbas, alta ubique pace fruebatur Romanum Imperium, & Jani templum clauſum fuit. Quod ſi haec contigerunt A. U. 748. Saturnino etiam tum Syriam adminiſtrante prioribus menſibus, non incommode quotquot Caeſari parebant, vel amicitiae foedere conjungebantur, vel jure quovis eidem erant obnoxii, deſcribi potuerant, ut de omnium multitudine & opibus certior fieret, quod in votis habebat. Sin autem pertinent haec ad ſequentem annum 749. fallitur Tertullianus, ſed prope abeſt a vero: alteruter vero annus Natalis Chriſti conſtitui poſſet, ſi unius publicae tranquillitatis, pacatis omnibus, ratio habeatur, neque aliud quidquam ſit impedimento. At cum Varus Syriae praeeſſet aeſtate Anni V. 748. eoque anno ob Armeniae tumultus non omnia eſſent pacata, vix fieri poteſt ut Deſcriptio pacem conſequuta ad Saturninum quoquo modo referatur, Annuſque U. 749. ſeligendus videtur pro univerſi orbis tranquillitate, pro Jano claudendo, & Deſcri ptione. Quoties vero poſt Chriſtum natum clauſae fuerint Jani fores, & quo tempore ejuſmodi ritus abrogatus, Gallica Academia eruditis viris diſcutiendum proponit.

XIII. Verſabatur tum in Oriente P. Sulpitius Quirinus, & Homonadenſibus fuſis triumphum reportaverat, quae gens intra Tauri juga degebat finitima aſperae Ciliciae mediterraneae, qua Piſidiae & Lycaoniae conjungitur. Tacitus Quirini contra Homonadenſes expeditionis poſt Conſulatum meminit. *Conſulatum ſub Divo Auguſto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus, datuſque rector Cajo Caeſari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat*. Homonadenſis triumphus conſignari optime poterit An. U. 747. vel An. 748. Enimvero P. Sulpitius Quirinus An. U. 742. Conſulatum geſſerat collega Meſſala; nec Auguſtus a Maecenate monitus, ex Dione L. 52., eos qui Urbanis magiſtratibus functi erant continuo in provincias mittebat, nec ante quintum poſt magiſtratum annum: *neque magiſtratus tempore, nec ſtatim ab eo, ſed interpoſito quantum ſingulis ſatis videbitur, tempore, arma eis committe ...... mitiores eo efficientur ſi aliquandiu privatim poſt geſtum magiſtratum vixerint*: Quod Svetonius confirmat c. 36. Idem autem Dio L. 53. ita de Auguſto ait: *omnibus interdixit ne ante quintum annum a geſto in Urbe magiſtratu provincias ſortirentur*. Recte omnia habent, & in Annos U. 748. 749. multa

ta cadunt, quæ maximo nobis ſint uſui, Saturnini & Vari praefecturae, Quirini in Oriente triumphus, Imperii parta pace tranquillitas, Janique fores cluſae.

XIV. Conſtitutis annis Deſcriptio eſt habita cenſuſque, ut vocatur, peractus a Quirino in variis Syriae & Orientis regionibus, & cadente Anno U. 749. tandem in Judaea, Bethlehemum ea de cauſa Deipara & Joſepho ſe conferentibus, ubi oriturum Meſſiam Michaeas jamdiu fuerat vaticinatus. Neque alia ratione *Breviarium* conficiebat Auguſtus, in quo, ut a Tacito accepimus L. 1. Annal. *opes publicae continebantur, quantum civium ſociorumque in armis, quot claſſes, regna, provinciae, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates, ac legiones, quae cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus*. Egregie idcirco falluntur qui nullum Deſcriptionis hujus Auguſteae univerſi orbis veſtigium extare dictitant, altumque ſcriptorum ſilentium eſſe. Tota illos via errare Svetonius quoque plane demonſtrat. Defuncti Auguſti ſupremas tabulas apud ſe depoſitas Virgines Veſtales produxerunt una cum tribus ſignatis voluminibus: *De tribus iſtis voluminibus, uno mandata de funere ſuo complexus eſt; altero indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi in aheneis tabulis quae ante Mauſoleum ſtatuerentur: tertio Breviarium totius Imperii, quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantumque pecuniae in aerario & fiſcis & vectigaliorum reſiduis*.

XV. Prius illud Auguſti volumen ad funus tanti Principis pertinet, neque huc ſpectat: noſtra intereſt potius alterum, ſive indicem rerum geſtarum evolvere, ſi qua forte inibi memoria deſcripti orbis extaret, ut ſubdubitavit nonnemo. Sed nihil illinc exculpi poſſe perſpicuum videtur. Auguſteum hunc indicem Roma miſſum Ancyrani Galatae adfixis Sebaſtei parietibus aeneis tabulis ad perennem memoriam conſecrarunt. Id celebre adeo eſt Ancyranum monumentum, quod ex Aſiana continente in Europaeam auſpicato revertiſſe viſum eſt, cum Anno Chr. 1554. Antonius Wrantzius Dalmata, Epiſcopus Agrienſis, & Augerius Gislenius Busbequius Ferdinandi Romanorum Regis Legati, ejus apographum cum eruditis viris communicarunt. Verum a Daniele Coſſono Batavo mercatore aliud longe auctius & emendatius accepimus An. 1689. cui tamen praeſtat Tournefortianum deſcriptum e parietinis tabulis An. 1701. cum vir clariſſimus Regis Ludovici XIV. juſſu & ſumtibus Orientem peragrando Ancyram adiiſſet: vulgavit illud Edmundus Chishullus Anglus typis Londinenſibus An. 1728. in *Antiquitatibus*

Tab. 1. fig. 1.

bus Aſiaticis cum vetuſtiſſima Inſcriptione Sigea, aliiſque pluribus egregiis monumentis.

XVI. Quod huc ex Ancyranis tabulis revocari poſſet, illud foret quod petitur ex Tabula ſecunda a laeva. Alterum. CONSULARI CUM IMPERIO LUSTRUM cenſumque SOLUS. FECI. CENSORINO. & ASINJO. COS. Tab. 2. QUO. LUSTRO. CENSA. SUNT. CIVIUM. ROMANORUM. capita. QUADRAGIENS. CENTUM MILLIA. & DUCENTA. TRIGINTA. TRIA. MILLIA. Chishullus hanc allatis verbis animadverſionem optime adtexuit, cujus lectorem non poenitebit. *Fruſtra fuere non pauci, quamquam graves & eruditi viri, quorum cordi defixum olim inſidebat, hunc medium Auguſti cenſum eumdem illum fuiſſe, cujus meminit D. Lucas Evangelii capite ſecundo. Hic enim cenſus fuit Romanorum capitum ordinarius, ſacris luſtralibus conjunctus, ideoque ad rem religionis ſpectans, a rege Servio inſtitutus, dehinc ſaepius a ſummo magiſtratu, & ab Auguſto nunc iterum peractus. At amplior ille orbis Romani cenſus, repertum ipſius Auguſti fuit, id nempe curantis ut iniret Imperii rationarium, quod in tertio illo volumine complexus eſt, utque certius tributa & vectigalia & univerſos tum Italiae tum provinciarum reditus pernoſceret.* Equidem Cenſorinus & Aſinius Conſules proceſſerunt A. U. 746. ex faſtis, cum peractus fuit hic Romanorum capitum cenſus ſecundus ex tribus ab Auguſto initis: nec a Deſcriptione Cyrini admodum abluderet, quod ad temporis rationem pertinet; ſed nulla hic ſociorum aut amicorum mentio, quales erant Herodes & Judaei.

XVII. Duo adverſari videntur Evangelicae Cyrini deſcriptioni: primum quod deſcribendi populi partes implendae potius forent a Sentio Saturnino, vel Quinctilio Varo Syriae Praeſidibus, quam a P. Sulp. Quirino qui tum eo munere non fungebatur: alterum quod Judaeis, Herode Magno rerum potito, ſuo jure viverent ſuiſque legibus uſi cenſibus tributiſque obnoxii non eſſent. Hervvartus & Henſchenius exiſtimantes Evangelicam apographen non fuiſſe ex Lucae verbis Quirinianam, ſed priorem Quiriniana, nodum levi ictu ſecant: ceteri eum quidem vindice dignum cenſent, non tamen adeo, ut prima fronte videtur, implexum. Ut enim Noriſius de Cenotaph. & Pagius in Appar. 129. obſervarunt, Romae cenſus non agebatur a Conſulibus, aut Praetoribus, ſed a duobus viris Conſularibus ad hoc munus delectis. Illuſtria proferunt exempla, ut Germanici agentis Galliarum cenſum, quamvis ordinarius Galliae legatus non eſſet. *Regimen ſummae rei*

D in-

inquit Tacitus L. I. Annalium A. U. 767. *penes Germanicum agendo Galliarum cenſui tunc intentum*: & ſub initium L. 2. A. U. 769. de eodem Germanico : *igitur huc intendit*, *miſſis ad cenſum Galliarum P. Vitellio & Cantio*. Alius utique Praeſes Syriam adminiſtrabat, ſed in peragendo cenſu, vel potius deſcriptione, primae partes Quirini fuerunt ob recentem victoriam toto Oriente celebris. Itaque Bodinus ad corvos, & quotquot gladiatorio animo ſacram Evangelii Hiſtoriam, illotiſque manibus, adgrediuntur, jactantque ſe rem acu tetigiſſe, & in Divino Scriptore turpes (malum !) deprehendiſſe anachroniſmos. Valeant thraſones impudentiſſimi, qui nomini ſuo longe melius conſuluiſſent, ſi nunquam in ſacra haec involare cogitaſſent.

XVIII. Neque Evangelica Hiſtoria, aut Chronotaxis noſtra eidem innixa, vel tantillum labaſcit, ob Judaeorum foedera & ſocietatem cum populo Romano, regiſque Herodis amicitiam: quandoquidem Deſcriptio prima Quirini, tributa minime ſpectat, ut altera exacto Archelao, Judaeaque in provinciam redacta & Syriae adtributa. Enimvero Auguſtus, ut paullo ante a Tacito accepimus, adnotandum quam diligentiſſime curaverat, praeter cetera, *quantum civium ſociorumque* in armis eſſet, perſcripſeratque quot regna, provinciae, tributa, neceſſitates, legiones forent : quae res longe diverſas complectuntur. Accedit illuſtre Claudii Imperatoris de cenſu & deſcriptione teſtimonium, ex oratione de civitate Romana Gallis danda, cujus aere inciſae extat lacinia apud Gruterum a Pagio laudata, Appar. n. 128. *Quod opus quam arduum ſit nobis nunc cum maxime*, *quamvis nihil ultra*, *quam ut publice notae ſint facultates noſtrae*, *exquiratur*, *nimis magno experimento cognoſcimus*. Non igitur figmentum eſt a maleferiatis hominibus cuſum pura puta Deſcriptio ſociorum amicorumque, nullis adjectis vectigalibus tributiſve ſolvendis. Fuſius de his diſſerit Bernardus Lamius Appar. Chronolog. ad Harmoniam Evangelicam P. I. cap. 10. Notum praeterea quantum Judaei obnoxii eſſent Romanis: Herodes enim Romanorum beneficio Judaeae regno potitus erat, quod etiam ejus ſupremae tabulae, & Archelai filii geſta & principatus confirmant. Ex Claudii Imp. verbis cognoſcimus quam arduum, moleſtum, diuturnumque opus fuerit totius Romani orbis deſcriptio improbo labore peragenda, ejuſque non adhuc abſolutae A. U. 749. in finem vergente initium repeti poſſe non tantum a prioribus ejuſdem anni ineuntis menſibus, verum fortaſſe etiam ab annis 748. & 747. ſi unam operis difficultatem prae oculis habeamus. Quicquid ſit, Evangeliſta

non

Digitized by Google

non narrat rem adverſam fidei hiſtoriarum, *dum deſcriptionem totius orbis factam memorat hiſce temporibus*; *factam enim convenit inter omnes Scriptores, quo autem tempore non omnino liquet, ſed certum eſt fieri non potuiſſe niſi multorum annorum ſpatio*: Ita Bernardus Lamius P. 1. c. 10. Veriſimilius exiſtimamus Anno U. 749. tranquillis ubique gentium Romanis rebus, clauſiſque Jani foribus, peractam deſcriptionem.

XIX. Quantae molis eſſet regionibus omnibus luſtratis infinitae ferme multitudinis numerum inire, teſtis eſt Joabus dum Davide jubente Hebraeos recenſuit. Quamquam enim viros tantum enumeraret Davidi ſubjectos, & bellis gerendis aptos, Levitis atque Beniamitis demtis, qui cenſum illum religioni habuerunt, non parum tamen temporis inſumtum eſt, ac tantum non annus; *& luſtrata univerſa terra, adfuerunt poſt novem menſes & viginti dies in Jeruſalem*. 2. Reg. cap. 24. v. 8. Quod ſi pueros, feminas, & quotquot ſupererant in Judaea, Syria, Oriente, & Romano Imperio porrecto ad ortum ſolis ab Heſperio cubili, in tabulas referri oportuiſſet, longe ampliore temporis ſpatio opus fuiſſet. Aliarum id genus deſcriptionum meminit ſacer Codex, ut proſelytorum Salomonis aetate: *Numeravit igitur Salomon omnes viros proſelytos qui erant in terra Iſrael, poſt dinumerationem quam dinumeravit David pater ejus, & inventi ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti*. 2. Paralip. c. 2. v. 17. Non una ſane eſt cenſuum ratio: *Cenſores* inquit Tullius L. 3. de Leg. *populi aevitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento*: id ſi non oſcitanter neque in una tantum civitate, vel populo peragendum fuerit, fieri non poteſt quin & operae & temporis plurimum poſtulet.

XX. Supereſt verba Tertulliani tantiſper expendere & ſupremum fortaſſe vulnus infligere Chronologis ſentientibus Chriſtum natum eſſe A. U. C. 748. Tertullianus enim eſt arx illorum & ara, & ad eum tamquam ad ſacram anchoram confugiunt. Is, ut Chriſti carnem, Nativitatem & res geſtas a Servatore noſtro, qua homo erat corpore praeditus, vindicet a Marcionis, & Phantaſiaſtarum inficetis argutiis, oſtendatque omnia reipſa eveniſſe, nec mera ſpectra fuiſſe & ſenſuum praeſtigias atque inanes ludificationes, provocat L. 4. adverſus Marcionem ad cenſum peractum appetente tempore Nativitatis, & ad Romana tabularia. Capite 7. ita ait de Auguſti cenſu, *quem teſtem fideliſſimum Nativitatis Romana archiva cuſtodiunt*: Capite autem 19. *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judaea per Sentium*

Saturninum, apud quos genus inquirere potuiſſent. Miſſo repudio Petro Poſſino, qui alio detorquet Tertulliani verba, liceat a Tertulliano deſciſcere, cui heic fidere tuto non poſſumus, rati vitio minime nobis vertendum, ſi pro Cyrini nomine retinendo, atque adeo pro Evangelica Hiſtoria tuenda pugnantes, vim infringere videamur rationum a Tertulliano allatarum. Ecquod enim tam inſanum caput reperitur, cui ſua adprobent Marcionitae deliria, tot aliis vetuſtiſſimi acutiſſimique viri argumentis convulſa atque prorſus obtrita? Cenſus Saturnino Syriae Praeſide in acta relatus, & in tabulas quoque Ancyranas, peractus eſt An. U. C. 746. Id fucum fecit Tertulliano ceteriſque, in vetuſtis monumentis apographen Evangelicam cum illo expiſcantibus. Quod enim pertinebat ad orbis deſcriptionem, cum Auguſti Breviario aut omnino deliteſcebat, aut periit funditus: niſi pro Tertulliano reponas, Saturninum ut gratiam a Caeſare iniret, quo tempore Romanorum capitum numerus ineundus fuit A. U. 746. miſiſſe Romam quales quales Judaeorum etiam atque Syrorum enumeratorum tabulas, quae deſcribendis etiam ſociis, orbique conducerent, quaeque Cyrino maximo fuerint adjumento Syriam A. U. 749. luſtranti. Lucas Evangeliſtes Cyrinum ſive Quirinum nominat, quemadmodum Juſtinus martyr Tertulliano vetuſtior: hic vero Saturninum, ſub quo non ita pridem alia deſcriptio cuivis nota facta eſt. Nonne μνημονικὸν ἅμαρτημα, & inde ortus metachroniſmus, patet perſpicue? Atqui eruditi Chronologi Nativitatem J. Chriſti in Annum U. 748. conjicientes, non alium habent fidejuſſorem quam Tertullianum, hic memoria lapſum. Quapropter eos obſecro atque obteſtor, ut mihi fas ſit eorum ex hac arce dejectorum opinionem rejicere, & Chriſti natalem diem revocare potius ad Annum U. 749. cum tot praeſtantiſſimis viris; eo enim anno nulli fuerant in Armenia bellorum tumultus, ſed omnibus pacatis, clauſoque Jani templo, & peragi Deſcriptio potuit, & verae tranquillitatis & libertatis Aſſertor Bethlehemi in lucem prodire.

XXI. Fortaſſe de eo Saturnino loquitur Tertullianus, qui inter Varum & Quirinum Syriae praefuit, ut ex ejus nummo conſtat, circa tempus quo Archelaus loco motus, & in exilium relegatus fuit. Sed vix dici poteſt inchoata ab illo Judaeae Deſcriptio, a Cyrino tunc miſſo peracta: neque haec ad Nativitatem pertinent, ſed longe ſerius contigerunt: qui vero ex Tertulliani Saturnino antea conſignant Natalem diem Anno U. C. 748. figere eadem ratione poſſunt A.U. C. 758. ob nummum Saturnini aeramque Antiochenam. Ut enim Vari nummus

Digitized by Google

mus praefert Annum Antiochenum Actiacum XXV. ita alius hujus Saturnini praefert Annum XXXV. Spectat ille ad An.U. C. 748. ante Autumnum, hic eadem ratione ad A. U.C. 758. neque hi poſtremi ſunt horum Praeſidum nummi. En quanta laborent in Carybdi adverſarii noſtri ob unum Tertulliani aberrantis locum.

CAPUT III.

Caedes Bethlehemitica conſignanda eſt Anno U. 751. circa Martii initium, paullo ante Herodis mortem; prima vero phaſis novae ſtellae a Magis ſpectatae, biennio fere ante, Anno U. 749. menſe Martio, in Evangeliſmo Deiparae & Divini Verbi Incarnatione; eodemque Anno U. 749. menſe Decembri natus eſt Chriſtus.

I. HErodes ſub mortem, Anno U. 751. Martio ineunte (niſi quis ad ſuperiorem menſem Februarium revocandam eſſe pugnet) malorum conſcientia, & ultricibus ſcelerum furiis tranſverſum actus, immania facinora patrat, ut crudelitati ſuae morem gerat. Ita de eo Joſephus L. 1. de Bello Judaico, poſtremo capite: *Atra bile correptus, & ipſi quodammodo morti aliquid minitans, progreſſus eſt ad facinus teterrimum perpetrandum. Nam illuſtres totius Judaeae viros ex ſingulis viris collectos, in locum qui Hippodromus vocabatur, concludi juſſit. Tum accerſita ſorore Salome, viroque ejus Alexandro; novi, inquit, Judæos morte quidem mea feſtos dies acturos, aliorum vero cauſa lugeri poſſum, & funus ſplendidum conſequi, dummodo meis mandatis obſequi velitis. Hos autem viros in cuſtodia habitos, ſimulatque animam exhalavero, militibus circumdatos omnes interficite, quo & univerſa Judaea, & ſingulae domus vel invitae mea morte illacrymentur.* Paullo poſt nec morbi cruciatus, nec ſeipſum ferre valens, ſibi ipſi manus inferre conatur. Adnotat autem Joſephus de iiſdem agens L. 17. Antiquitatum, Regem *ſimiliter in omnes inſontes ſonteſque ſaeviiſſe*. Igitur eſt admodum veriſimile poſtremis furentis Tyranni diebus, & Martio ineunte perpetratam fuiſſe Bethlehemiticam lanienam, ut plurimi ſublato rege ob domeſticas calamitates moerore confecti in luctu & ſqualore verſarentur.

II. Sed

II. Sed illud in primis dignum eſt quod animadvertatur, crudeliſſimum Tyrannum, quinto ante mortem die, filium ſuum Antipatrum interfeciſſe, quod de patris morte, quam accidiſſe arbitrabatur, laetaretur, & rex nullo negotio futurus ſibi videretur, multa pollicitus carceris cuſtodi, ut libertate & regno potiretur. Antipatrum, jubente patre, necatum quinto ante obitum die, tum ex Libris de Bello, tum ex Antiquitatibus intelligimus. Itaque circa Martii initium Antipater periit. Verum qui filium capitis damnavit ne regno quod ſperabat augeretur, annon eos quoque interfici tunc juſſerit, de quibus idem olim judicium ferri poſſet? Crediderim necatos tunc cum Antipatro pueros Bethlehemitas, quandoquidem inter illos natus ferebatur Rex Judaeorum, ut conſtat ex ſacra Magorum Hiſtoria. Eo igitur tempore conſimili ex cauſſa necati videntur; & ne ſolus infelix parens haberetur.

III. Quod autem hactenus conjectura dumtaxat aſſequimur, id tantum non compertum dici poſſit, cum ad Auguſti verba, & Macrobii (Ethnici, ut cum Fabricio cenſemus, ſcriptoris) teſtimonium, animum adjungimus. *Auguſtus*, ut Macrobius memoriae prodidit, L. 2. Saturnalium cap. 4. *cum audiſſet inter pueros quos in Syria Herodes Rex Judaeorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.* Haec quidem ſcite ac feſtive Caeſar, cum Judaeis ſuilla veſci nefas eſſet. Adeo praeclarum de caeſis pueris bimulis, cladiſque tempore teſtimonium obliteratum foret, niſi in Macrobii Libris ſupereſſet. Herodis filius, de quo Auguſtus & Macrobius loquuntur, eodem tempore necatus eſt quo SS. Infantes, quamquam ipſe natu grandior; nec alius fuit quam Antipater. Liberos antea quoque obtruncari juſſerat immanis pater, ſed duo ſimul fuerunt, non unus, idque contigit Sentio Saturnino Syriae Praeſide, neque eo tempore patrata eſt caedes Bethlehemitica, ut omnes fatentur. Exploratum eſt igitur tunc peractam eſſe, cum Herodes furiis actus & crudelitate ultimo ſupplicio affecit Antipatrum, omneſque gladio ſublatos voluit pueros, qui Archelao in regni ſucceſſione negotium faceſſere aliquando poſſent. Cum ergo ineunte Martio conſignanda ſit caedes Antipatri, tunc quoque caeſos Infantes Bethlehemi veriſimillimum exiſtimamus.

IV. Mirum autem dictu eſt quam recte omnia ſe habeant in hac, ſi ita vocanda ſit, hypotheſi. Caedes Bethlehemitica biennio circiter perpetrata eſt poſt primam phaſin ſtellae a Magis viſae: Herodes enim oc-

occidit, teſte Evangeliſta Matthaeo cap. 2. pueros *a bimatu & infra ſecundum tempus quod exquiſierat a magis*; quod tempus diligenter ſcrutatus eſt, ut habetur capite eodem : *Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellae quae apparuit eis*. Duo igitur anni fere praeterierant poſt ſtellam primo viſam, cum pueri inſontes necati ſunt. Apparuit ergo Magis novum ſidus biennio ante, menſe Martio An. U. 749. Verum facile deerant dies aliquot, vel menſis; ſed horum nulla habita eſt ratio a Tyranno, modo puer quem quaerebat minime elaberetur. Itaque veritati eſt conſentaneum novum ſidus fulgere coepiſſe in Divini Verbi Incarnatione & Deiparae Evangeliſmo, die XXV. Martii, quod etiam cenſuit Henſchenius Vir Cl. quamquam ille ad ſuperiorem annum 748. haec revocat, quod minus probare poſſumus. Ex conſtituto anno ac menſe obitus Herodis & Bethlehemiticae Tragoediae, Divini Verbi Conceptionem Martio peractam biennio antea novimus; & ex Incarnationis tempore ad Natalem Chriſti menſem ac fere diem facile progredimur. Novem enim exactis menſibus, cadente Decembri Anno U. C. 749. Chriſtus in lucem prodierit oportet. Quod egregie confirmat vetus Eccleſiae opinio & conſuetudo celebrandi feſtos dies Annunciationis Mariae Virginis & Nativitatis J. Chriſti. Siquidem, ut ait S. Auguſtinus L. 4. de Trinitate cap. 5. *Sicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiae cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus traditur, quo & paſſus : natus autem traditur octavo Kalendas Januarii* : & S. J. Chryſoſtomus hunc Nativitatis diem a Romana Eccleſia, ejuſque veteri ſententia ſe recepiſſe fatetur.

V. Prima Stellae phaſis quae oculos Magorum perſtrinxit Incarnationi potius quam Nativitati videtur tribuenda. Magi enim intra quadrageſimum diem a Salvatoris ortu Bethlehemum pervenerunt, ubi eum in lucem proditurum audiverant. Veriſimillimum autem eſt illos e Chaldaea vel Perſide profectos eſſe, ſi veterum veſtigiis inſiſtamus, e regionibus videlicet diſſitis. Statim ac novo admirandoque lumine perculſi haerebant pendebantque animis, non continuo Judaeam verſus proficiſci potuerunt; ſed diu animo recogitarunt, quid iſtuc rei foret, quidnam portenderet illuſtre illud phaenomenon; multa ſciſcitari oportuit, plura ſimul conferre, parare quoque quicquid longo itineri habendo deſiderari poterat. Haec omnia non dies paucos, ſed menſes aliquot poſcunt. Haud propterea ipſo Chriſti natali die novum ſidus exortum eſt : nullum autem aptius tempus ante Nativitatem excogitari poteſt,

quam

Digitized by Google

quam Divinae Incarnationis fauſtiſſimus dies. Fateor non unam eandemque eſſe Sanctorum Patrum ſententiam de tempore quo Stella primum eſt viſa, de Magorum regione, & aliis id genus quaeſtionibus: nos eam propugnamus quae magis veritati conſentanea videtur.

VI. Quid ſi adjiciam inter Purificationem Deiparae, quadrageſimo a partu die, Februario ineunte, ex Eccleſiae ritu, & fugam in AEgyptum non breve temporis ſpatium interjici, cum S. Lucas Evangeliſta memoriae prodat Deiparam cum filio & Joſepho Nazarethum rediiſſe *poſtquam perfecerunt Legem Domini*? Nonne peſſum ruit ſententia Bernardi Lamii exiſtimantis natum eſſe Chriſtum ſub finem An. U. 750. triennio tantum ante vulgarem aeram, & duobus menſibus cum dimidio ante Herodem fato functum, quem, ut nos quoque arbitramur, obiiſſe cenſet ſequenti Martio A. U. 751.? Nonne duplici incommodo ejus ſententia laborat, cum neque reditum in Galilaeam ante iter AEgyptiacum explicare poſſit, & velit nolit cogatur dicere Stellam neque in Nativitate neque in Incarnatione apparuiſſe, ſed antea in Deſponſatione B. Virginis, quod tamen tempus quatuordecim circiter menſium, brevius eſt quam ut componi poſſit cum Bethlehemitica clade? Ortum fortaſſe Servatoris noſtri illigabimus, ſolido quinquennio ante communem aeram Anno U. 748. cum Pagio & Blanchinio, ut alios praetereamus? Sed natam cum vero juſtitiae ſole tunc Stellam fuiſſe, & tam cito Magos Bethlehemum adveniſſe difficile eſt creditu, ac praeterea tempus biennio diuturnius effluxiſſet ab ortu Stellae menſe Decembri ad necem Sanctorum Infantium, ineunte Martio, Anno U. 751. ut oſtendimus.

VII. Habet igitur Lector quomodo plura explicari poſſint & probe ſuis quaeque temporibus conſignari. Virginum Sanctiſſimam Mariam caſto connubii foedere Joſepho qui eam nunquam attingeret nuptam, inviſit alloquiturque Gabriel An. U. 749. Martio in finem vergente, quo tempore nulla accedente viri ope, ſed praepotenti Divini Spiritus virtute, Dei Filius humanam naturam aſſumit, *Verbum caro factum eſt*, & Jeſus conceptus: nova autem Stella tanti myſterii collatique in humanum genus beneficii nuntia e veſtigio comparet, ſuoque lumine Magorum oculos in Oriente perſtringit. Novem exactis menſibus, Decembri cadente, orbis Reparator J. Chriſtus Dei Filius Bethlehemi in lucem prodit, quem Magi ſequenti Anno U. 750. menſe Januario, vel ſi mavis anno vertente U. 751. exhibitis auro, thure, ac myrrha procidentes adorant. Herodes autem An. 751. circa Martii initium pueros

a bi-

a bimatu & infra obtruncat, initio fere menſis viceſimi quarti poſt Stellam in Oriente ſpectatam, & paullo poſt daturus ſcelerum poenas in Tartarum detruditur. Omnia ſibi conſtant, atque ita nexa & colligata ſunt, ut aliud ex alio quodammodo oriatur, quod magno argumento eſt res ita ut auguramur eveniſſe. Ceterum pluſcula accedant oportet, quo conſtituta temporum ratio confirmetur.

VIII. Principio non poſſumus in illorum ſententiam deſcendere qui Magos ſtatuunt Stellam vix conſpicatos ipſo Chriſti Natali die, continuo patriis laribus relictis in Judaeam magnis itineribus contendiſſe, illucque tandem, emenſo longiore ſpatio intra dies tredecim perveniſſe. Unde unde profecti fuerint, vel ex Perſide, ut cenſent cum pluribus S. J.Chryſoſtomus & Theophylactus in c.2. Matthaei, vel ex Chaldaea, Meſopotamia, aliiſve regionibus Orientem ſolem ſpectantibus, niſi malueris illos Idumaeos, Sabaeos, Arabas fuiſſe, quod eruditiſſimo Calmeto in Diſſertatione de Magorum adventu diſcutiendum relinquo: aliud praeſeferre exiſtimo Magorum verba. Nam cum Heroum conceptioni & nativitati portenta ac viſa tribui ſolerent, ut de Matribus Cyri & Alexandri litterarum monumentis proditum eſt, nec certo conſtaret auctorne naturae tam praeclaro recentis ſideris ſpectaculo prima vitae rudimenta orituri regis illuſtrare vellet, an ortum potius palam facere, Orientales noſtri dum Jeroſolymis aliquid de loco reſciſcere deſiderabant, non pro certo habuiſſent Chriſtum jam natum eſſe, niſi decimus ſaltem laberetur menſis a prima Stellae phaſi: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam dicentes ubi eſt qui natus eſt Rex Judaeorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Cauſſam aperiunt cur natum judicent, eamque dicunt Stellam eſſe jamdiu in Oriente ſpectatam: haec plana atque nativa illorum verborum ſignificatio, fruſtraque nec niſi violenter contorqueantur, ſi aliud ſubeſſe contendas.

IX. Ne Herodes quidem alioſum traxit verba ejuſmodi. Erat ille ſuſpicioſus, ut omnes qui a caedibus imperium auſpicati, partum vi Regnum non leni clementique animo, non beneficiis & humanitate tuentur, ſed fraudibus, crudelitate, flagitiis. Noverat ſe Idumaeum genere, necato Antigono e Regio Haſamonaeorum ſanguine prognato, Judaeorum, patria tantum inſtituta genuſque colentium, Regem a Romanis conſtitutum: hinc rumorem de novo quodam tamdiuque expetito Rege, qui increbuerat apud populum aliena quaevis faſtidientem, Herodianae domui & ſucceſſioni exitio futurum metuebat, ſparſaeque in vulgus voces hominem urebant. Quapropter *congregans* inquit Mat-

E thaeus

thaeus c.2. *omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur*. Neque id ſatis ei fuit: expiſcatus praeterea eſt, ſemotis arbitris, quam diligentiſſime tempus quo primum viſum fuit novum ſidus: *tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus Stellae quae apparuit eis*. Nullus erat ſegnitiae locus: agebatur de liberum Regno quo nihil antiquius habebat, poſtquam ſenio confectus & morbo, morte impendente, exciderat ipſe ſpe diu regnandi. Diligenter tam illuſtris & admirandi phaenomeni tempus exquirebat: *ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος*. Aliud nihil de Chriſto nato reſciſcere potuit; ſed ne ille puer incolumis Regni tandem compos fieret omnes obtruncari mandavit natos in oppido & agro Bethlehemitico, non tantum ante biennium quo tempore apparuit Stella, quod memoriae altius infixerat, verum infra etiam biennium. Quid porro neceſſe fuit alios praeter bimulos necare, nullis injectis frenis tam dirae crudelitati, ſi cum Stella primum conſpecta fuit ortus erat Regius puer ad ſupplicium quaeſitus? At ſuſpicabatur Herodes, poſt vocatos ad colloquium Stellae ſpectatores, non tum exortum cum Stella puerum ſuae Domui fatalem, edixitque ferali decreto nequis intra biennium natus ſuperſtes relinqueretur *a bimatu & infra ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis*: *ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων*.

X. Neque nobis vetuſtiores interpretes Evangeliorum deſunt arbitrati ante Natalem Servatoris diem Stellam micare coepiſſe. Theophylactus verba Matthaei *diligenter didicit ab eis tempus Stellae quae apparuit eis*, ita exponit: *Hoc eſt accurate didicit. Stella enim antequam natus eſſet Dominus apparuerat Magis, quoniam multum temporis in iter inſumturi erant; ideo multo ante apparuit Stella. Adorant enim adhuc in faſciis jacentem. Aliqui autem dicunt quod cum Chriſto nato apparuerit Stella, & Magi poſt biennium venerunt, & non in faſciolis invenerunt puerum, neque in Praeſepi, ſed in domo cum Matre bimum. Sed tu priorem ſententiam ut meliorem habe* = Nullum magis idoneum tempus novi luminis ante Nativitatem conſpicui ſtatui poteſt, quam dies, non ſolum albo lapillo ſignanda, ſed aeterna quoque ſeculorum omnium memoria celebranda, Incarnationis Divini Verbi, & Evangeliſmi Deipatae. Ut tamen alios Patres ſileam, praeterire non poſſum S. J. Chryſoſtomum cenſentem Stellam Salvatoris Nativitati praevertiſſe, Hom. 6. in Matthaeum: *Cum multum ante tempus in Regione ſua Stellam apparere vidiſſent*

(Magi)

(Magi) *venerunt ad eum qui erat natus videndum*. Et Hom.7. *Conſequenti vero ratione colligitur Stellam ipſam ante multum apparuiſſe tempus. Quia enim Magi plurimum erant itineris longinquitate remorandi, ut poſſent mox nato puero aſſiſtere (quem ut mirabilius rei dignitas eluceret pannis adhuc infantiae colligatum oportebat adorari) ante multum tempus Stella ſe demonſtrat. Si enim quando puer natus eſt in Palaeſtina, tunc illis Stella apparuiſſet in Perſide, plurimum in itinere tempus terentes, nequaquam illum adhuc in pannis invenire potuiſſent*. Nullum magis aptum tempus novi ante Nativitatem luminis, fauſtiſſimo Incarnationis die jam oſtendimus, nec crambem repetitam obtrudimus, quaſi ullus reliquus ſit dubitandi locus.

XI. Non me fugit aliud alios ſenſiſſe pugnanteſque eſſe Patrum ſententias. Sed cum in magna diſſenſione veteres recenteſque Scriptores ſint conſtituti, illis auſcultare par eſt, quorum opinio temporum rationi & Hiſtoriae Sacrae magis eſt conſentanea. Praeterea injuria quaedam Patrum loca nobis objicerentur, ut S. Auguſtini verba contra Fauſtum Manichaeum L.2. cap.5. *novo Virginis partu novum ſidus apparuit*: enim vero Sanctus Antiſtes eo ſpectat, ut oſtendat Chriſtum Coeli conditorem non fuiſſe ſubjectum hujus Stellae fato ſtatiſve motibus: *non ex illis erat haec Stellis, quae ab initio creaturae itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt*. Cum igitur ad natum vel naſciturum Stellarum opificem nunciandum condita fuerit, *non ideo Chriſtus natus eſt quia illa extitit, ſed ideo illa extitit quia Chriſtus natus eſt*. Quis vero eſt tam hebes & tardus ut non videat eadem ratione ad incitas redigi impios, ſi oſtendi poſſit munus Stellae, quamquam aliquot antea menſibus ſplendentis, fuiſſe Chriſtum praemonſtrare, & ad Bethlehemiticum antrum Magis praeire? Hac quoque ratione verum eſt, & maximum exhibet negotium Evangelicae veritatis oſoribus quod acutiſſimo vir ingenio ait: *Itaque illa Stella quam viderunt Magi, Chriſto ſecundum carnem nato non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur, nec eum ſubjiciebat imperio, ſed indicabat obſequio*. En quid Auguſtinus velis remiſque contendat; an autem paullo ante vel ſimul exorta ſit, parvi heic refert, praeſertim ſi condita fuerit Incarnationis tempore, & facile Sanctiſſimi viri verba huc trahi poſſint: ſi enim ad ejus ſcopum mentis aciem converteris, ita inflecti & explicari poteſt quod ſcripſit: *Non ideo Dei filius Incarnatus eſt quia illa extitit, ſed ideo illa extitit quia Dei filius Incarnatus eſt*.

XII. Graveſonus noſter Pariſienſis Doctor in praeſtanti tractatu de *Myſteriis & Annis Chriſti* Diſſ. VIII. rejiciens merito opinionem exiſtimantium, Stellam biennio ante natum Servatorem apparuiſſe in Oriente, exortam putat die illius Natali, Magoſque intra dies tredecim ex Arabia Felice Bethlehemum adducit, laudatque lucubrationem Cl. Petri de Marca *de Adventu Magorum ad Chriſtum* inter Opuſcula ejus poſtuma a Stephano Baluzio vulgata, ubi ejuſmodi iter Magorum intra octiduum peragi poſſe ope camelorum confirmat. Equidem quod pertinet ad Sabaeorum regionem, unde Magos arceſſit, nolim cum tanto viro diſceptare, habeantque praeter aurum & myrrham

Molles ſua thura Sabaei.

Notum quoque, & fortaſſe Sabaeorum monumentis, vel aliorum Arabum commendatum illic erat vaticinium Balaami Numer. c. 24. *Orietur Stella ex Jacob*, in Arabia fuſum, quo excitati ſunt Arabes noſtri ad Regem inquirendum oraculo praemonſtratum. Tacitus L. 5. Hiſtoriarum Judaeam qua Orientem ſpectat, Arabiae finitimam dicit; S. Hieronymus vero de Magorum adventu agens in c. 2. Matthaei, Balaam oraculum, quae plurimorum quoque eſt ſententia, huc ſpectare ait, notumque his nati Servatoris cultoribus: *Orietur in Oriente Stella, quam futuram, Balaam, cujus hi erant ſucceſſores, ratiocinio noverant.* Vereor tamen ut tam brevi temporis intervallo peragi cuncta potuerint: nam non ſolius itineris habenda fuit ratio. Tametſi autem ex verbis illis: *ubi eſt qui natus eſt Rex Judaeorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente*, confici putet Stellam fuiſſe ſignum nati Regis, non naſcituri; aliud longe diverſum praeſeferre locum illum paullo ante vidimus.

XIII. Sed quia cum eo viro mihi res eſt, quicum maxima mihi interceſſit in Urbe neceſſitudo, coluique illum ſemper maximopere, ejus verba uſurpabo, quibus ſtrenue refellit iter hujuſmodi intra dies tredecim ex Perſide & Chaldaea Bethlehemum: *Creditu difficile eſt Magos intra tredecim dies qui a die Natali uſque ad eorum adventum numerantur, tam longum ac diuturnum iter emetiri potuiſſe, etiamſi demus eos perniciſſimis Equis dromedariis & Camelis fuiſſe vectos: tum quia veriſimile non eſt Magos, ubi primum Stella in Oriente apparuit, ſeſe accinxiſſe ad iter, ſed potius credibile eſt eos antehac de novae & inſolitae Stellae apparitione, invicem contuliſſe, conſultationem adhibuiſſe, conſenſum firmaſſe, res ad iter conficiendum praeparaſſe, Comites ordinaſſe &c.* Locum haec ſibi vendicant quam-

quamvis non ab ultimis uſque terrarum oris Chriſti nati cultores ſint arceſſendi, ſed ex Arabia. Biennium autem fluxiſſe poſt novum ſidus antequam Jeſus naſceretur, eique munera exhiberentur, minus eſt veriſimile. Nam cui bono tam immane intervallum, cum novem decemve menſium ſpatio omnia explicentur & concludantur; neque dicendum videatur fulgere coepiſſe ſidus tempore nullis myſteriis conſecrato? Cum igitur ad Natalem diem ſideris ortus non pertineat, ad Incarnationis Divinae tempus merito revocabitur, biennio antequam Herodis furiis acti immanitate inſontium puerorum clades fuerit perpetrata.

XIV. Siquis autem reſcire velit quae tum apud ſe Perſae noſtri vel Arabes animo recogitarent, crediderim a veritate minime alienum, eos ſtatuiſſe a Judaeis Aſiam incolentibus quid arcanum lumen portenderet quaerere, & vel eorum monitu, vel arbitratu ſuo, Deique Spiritu ſimul actos, in Judaeam ſe contuliſſe ſciſcitaturos ex Legis Doctoribus quid facto opus eſſet; cum conſtans foret ſapientum opinio non diu auſpicatiſſima novi regis atque Meſſiae tempora expectanda. Percrebuiſſe non ita multo poſt hanc opinionem in Oriente, exoriturum in Judaea Regem qui ubique gentium dominaretur, teſtatur Tacitus L.5. Hiſtoriarum, de Veſpaſiano & Tito loquens: *pluribus perſuaſio inerat antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore ut valeſceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur*. Et Svetonius in Veſpaſiano: *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur*. Nullus dubito e Sacrorum vatum Divinorumque Codicum oraculis intellexiſſe complures Sacrorum adminiſtros & Moſaicae Legis interpretes appetere Meſſiae tempus, naſciturumque propediem Judaeorum totiuſque orbis Regem; tametſi prophetarum verba alii alio detorquerent, ut Tacitus & Svetonius. Veſpaſianum quoque oraculis praenunciatum ante illos nugatur Joſephus turpiter Imperatori aſſentatus, de Bello Judaico L.6. cap.12. nam cum vaticinii verba adtuliſſet, *illis circiter temporibus quemdam ex ipſorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum*, quod oraculum ambiguum, & in ſacris litteris repertum vocat; ſubjicit *ſignificabat nempe oraculum Veſpaſiani principatum qui in Judaea declaratus eſt Imperator*. Sane venturum Meſſiam, ejuſque exoptatiſſimum Regnum appetere ſupremis Herodis annis, Judaeorum probatiſſimis, & in ſacrorum Bibliorum lectione verſatis, exploratum erat; itaque idcirco ab eis intelligere potuiſſe Magos quonam proficiſci oporteret.

XV. Re-

XV. Regnum ad Idumaeum hominem tranſlatum optimi quique Judaeorum peſſime dolebant, necato Antigono Haſamonaeorum poſtremo. Spectaverant impii Regis flagitia, crudelitatem, labeſque in Divino cultu patriiſque ritibus plurimas: Romanis quoque ſe obnoxios ſciebant, neque ignorabant quid ſibi poſt propinqua Herodis fata metuendum eſſet. Animo igitur obverſabatur morientis Jacobi vaticinium, & venturus Meſſias Judaicae Reipublicae, atque adeo orbis totius in pejus ruentis inſtaurator; aderatque praeſtitutum Danielis oraculo tempus. Neque nos a conjectura aberramus, cum ex Evangeliſtarum monumentis pateat plures extitiſſe eo tempore, qui animum ad haec adjungerent. Meminit S. Lucas capite 2. Simeonis juſti expectantis *conſolationem Iſrael*, & Annae Prophetidis Phanuelis filiae de primis vitae Jeſu Chriſti myſteriis verba facientis cum *omnibus qui expectabant conſolationem Iſrael*. Nonne inveteraſſe haec opinio de Meſſia adventante dicenda eſt, quando ad Joannem Baptiſtam Chriſti aequalem, quod ad aetatem ſpectat, *miſerunt Judaei ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas .... ut interrogarent eum, tu quis es?* Jo. cap. 1. de Meſſia enim tunc agebatur, ut ex Joannis Baptiſtae verbis liquet: *Et confeſſus eſt & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*. Heinc mirati ſunt quod in Jordanis alveo populum aqua perfunderet baptizans: *quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Itaque cum perſpicuum eſſet adventare tempus a ſacris vatibus praenuntiatum, nemo unus fuit ex tot Judaeis infenſiſſimis Chriſti hoſtibus & obtrectatoribus nequiſſimis, qui ei auſus ſit exprobrare adveniſſe nondum tempus a Prophetis conſtitutum, aliumque Davidis filium atque Meſſiam expectandum. Quapropter noſtri ſiderum ſcrutatores novum inſuetumque lumen intuentes Deique opus mirati, illuſtre portentum animo verſarunt, quoad vel ex Balaam vaticinio vel ex vulgata in Oriente opinione cognoſcerent ſpectare haec Judaeos, ab illis petendam eſſe harum rerum ſcientiam, & in Judaea novum Regem oriturum.

XVI. Fuerint igitur Magi non Meſopotami, non Chaldaei, non Perſae, quod tamen magis probant ex recentioribus Serrius Exercitatione XXXIV. & ex antiquis Eccleſiae Patribus Clemens Stromateus, J. Chryſoſtomus & Cyrillus Alexandrinus, ſed Arabes, immo in eadem regione orti ſint, ſtellamque viderint ſtupore perculſi, ubi exorituram ante quindecim fere ſecula Balaamus aliud agens Divina virtute compulſus praedixerat, arbitramur aliquanto ante natalem Servatoris diem coeleſtem illum ignem ſpectatum. Bethlehemi Chriſtum venerabundi ado-

adorant Idolorum pridem cultores; itaque paullo poſtquam editus in lucem fuerat: vix enim quadrageſimo a partu die Jeroſolymis, peractis quae Lucas memorat capite 2. Nazarethum rurſum Maria & Joſephus veſtigia relegentes conceſserunt cum Divino puero, ut ibidem legimus: *& ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini reverſi ſunt in Galilaeam in civitatem ſuam Nazareth*. Evidens autem fere putamus non alio ante Nativitatem tempore coeleſte illud lumen fulgere coepiſſe, quam Incarnationis die. Nam quemadmodum naſcente Chriſto, dum Angelus triumphos agit & fauſta omnia Paſtoribus adprecatur, maximo hi lumine perfunduntur: *& ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos*; ita in Divini Verbi Incarnatione Angelus arcanae Conceptionis tantique myſterii nuncius mittitur, & novi ſideris luce Magorum oculi perſtringuntur.

XVII. Haud tamen acceſſerim Lighfooto conjicienti, lucem qua perfuſi fuit Paſtores Bethlehemi, Magos intuitos eſse Judaeae incumbentem, quo eos vocaret, cum ſplendore conſimili non minus Evangeliſmi diem illuſtrari deceat, jactis tum primum fundamentis humanae ſalutis. Numquid maximum Divinae virtutis & bonitatis opus, quod ſecreto peragebatur & penitus latebat in caſtiſsimae puellae alvo, non fuit coeleſti aliquo lumine prodendum? Cumque in Joannis Baptiſtae Conceptione prodigia ſpectata ſint & conſpicuus Angelus *a dextris altaris incenſi* Zachariam ſermonis uſu mulctaverit, unde *cognoverunt quod viſionem vidiſſet in templo*; nulla edenda erant portenta Chriſto concepto? Idem Angelus Gabriel maximarum rerum nuncius & Zachariam & Deiparam eſt alloquutus, & in utriuſque parentis viſceribus Spiritus Sanctus vim ſuam exeruit; ſed Chriſtus Joannem longo poſt ſe intervallo relinquebat. Angelo igitur ad Mariam miſſo lux nova, fortaſſe ubi a Balaamo praenunciata fuerat, reſplenduit, non jam Judaeis facem praeferens, ſed Ethnicis, quod appeterent tempora magis auſpicata Orbi univerſo inſtaurando, non uni Hebraeorum populo, & novum ſanctiuſque foedus ineundum foret, adventante, ut Sacri vates monuerant, Gentium omnium Doctore, & orbis totius felicitate, Deo Incarnato, omnium prorſus hominum conditore, omniumque populorum ſoſpitatore, atque Reparatore: *Non defuerunt qui crederent Angelum lucido quodam corpore inſtar ſideris aſſumto, viam Magis in Judaeam monſtraſſe. Poſtremam hanc ſententiam confirmant S. Chryſoſtomus, Caeſarius, Theophylactus, quippe quibus intelligentia & ratione inſtructum aſtrum credebatur, parens, evaneſcens, iter ſiſtens,*

ſiſtens, proſequens, prout res exigebat. Ita clariſſimus Calmetus, Diſſertatione de Magis.

XVIII. Reponet quiſpiam, Stellam ipſo natali die apparuiſſe, Perſas Arabeſve noſtros uno vel altero poſt Nativitatem anno, ei jam bimulo munera obtuliſſe, ac paullo poſt aufugiſſe cum puero Deiparam ejuſque conjugem in AEgyptum, quo ſe receperunt ab Angelo impendentis cladis admoniti; atque idcirco nutare biennium noſtrum a Martio A. U. C. 749. & Incarnatione ad Martium A.U. 751. & Bethlehemiticam ſtragem, atque Herodis mortem paullo poſt conſignatam. Sed non ita facile conſtituta Chronotaxis labefactatur. Novimus eſſe qui ſentiant verſatum fuiſſe continenter Divinum filium poſt Nativitatem Bethlehemi, nec eos ſibi quicquam metuere a verbis S. Lucae agentis de reditu in Galilaeam, peractis Sacris quadrageſimo die in Templo Jeroſolymitano; cum Evangeliſtae non ubique ordinem temporum religioſe conſectari ſuarum partium eſſe duxerint, pleraque etiam ſilentio praeterierint, quae geſta ſunt, liceatque verba Lucae interpretari de reditu in Galilaeam non ſtatim ac *perfecerunt omnia ſecundum legem Domini*, verum poſtquam fuga, cujus non meminit, ſibi conſuluerant, & ex AEgypto reduces Nazarethum petebant. His nullam ob S. Auguſtini auctoritatem cenſuram inurimus. Ceterum ut ita Lucae verba accipi poſſint, vis tamen aliqua inferri illis fortaſſe videbitur, & praeterea falluntur adverſarii ſi ita rem in vado eſſe jactant. Bethlehemo, non Nazaretho profecti ſint in AEgyptum pueri vitae metuentes: quid tum? Quaero an poſtquam Divinum orbis Reparatorem adveniſſe in vulgus ſpargere coeperant Paſtores in agro Bethlehemitico prope Jeroſolyma, ceterique in Templo, & novi cujuſdam Judaeorum regis exoptatiſſimum adventum praedicare, quicquam ab Herode Chriſti vitae timeri potuiſſet? Profecto non commiſiſſent Maria & conjux diu illic manendo ut accuſari a quoquam poſſent, de negligentia in re tanti momenti, conſtituto puero ob viciniam in praeſenti diſcrimine. Quod igitur de fuga in AEgyptum Matthaeus narrat, tunc potius contigit paullo poſt quadrageſimum diem, ſi tamdiu reditus in Galilaeam eſt protrahendus.

XIX. Pervidit quae conſequerentur S. Epiphanius, neque tantum bolum devorare auſus, ceteris exedendum reliquit. Bimo Redemtori oblata munera exiſtimat (*De Haereſi Alogorum*) ſiduſque aethereum ducem in Oriente cum Chriſto natum; at non idcirco conſtituendum Bethlehemi domicilium Chriſti duos illos ſolidos annos a Nativitate ad iter

iter Aegyptiacum: *Itaque priore jam anno finito & altero inſuper, ob eorum quae geſta illic erant memoriam, eo ſe Parentes Nazaretho, velut ad eamdem celebritatem, contulerunt. Quo tempore Magorum adventus ejuſmodi quadam opportunitate contigit: tametſi non in eodem illo fortaſſis diverſorio verſabantur, in quo Mariam ac Joſephum deſcriptionis tempore manſiſſe Lucas teſtatus eſt. Neque enim Mariam in Spelunca ubi pepererat repererunt, ſed ut Evangelium narrat, Stella illos ad eum locum perduxit ubi erat Puer; & intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria: non in Praeſepi, vel in Spelunca, ſed in domo, ſcilicet ut accurata rei veritas ac biennii intervallum exprimeretur, quod ab ejus Natali ad Magorum adventum effluxerat* = Verum vir maximus difficili in loco verſatur, & ſcopulos quoſdam vitare cupiens, in alios incidit. Vix enim inveniet qui ei auſcultet, credatque nulla prorſus neceſſitate compulſos Sanctiſſimos conjuges, alio divertiſſe, & tenellum puerum ſecum adduxiſſe, moleſtum iter adgreſſos, ut ſpecum inviſerent ubi in lucem eſt editus. Equidem Joſephus ex Aegypto redux, *audiens quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre ſuo timuit illo ire*, Matth. 2. v. 22. Hinc tamen non eruitur diu antea in Judaea commoratum eſſe; Sed cum in Aegypto latitaret animo volviſſe Bethlehemi vel Jeroſolymis morari, niſi potius dixeris Paſcha in Sacra aede peragere voluiſſe. Cum enim, ſtatim ac Herodes obiit, mortis illius certior ab Angelo factus ſit, duabus, vel tribus ante feſtum diem hebdomadis, potuiſſet ſtato tempore in Templo cum ceteris adeſſe, niſi Archelai metu in Galilaeam ſe recipere coactus fuiſſet. Tab. 5.

XX. Jam nonnulla adnotemus oportet circa ſententiam Bernardi Lamii viri ceteroqui praeſtantiſſimi, quique diu hoc ſaxum volvit in Apparatu Chronologico, p. 1. cap. 11. & Harmonia Evangelica, operibus cedro dignis, & complurium annorum improbo labore ad umbilicum deductis. Putat is ſupremum Herodis diem incidiſſe in menſem Martium, annumque U.C. 751. Julianum 43. Chriſtum vero ortum eſſe ſub ejuſdem anni initium; interjici idcirco a Nativitate Servatoris ad impii regis obitum non totos tres menſes; exiguum oppido intervallum, quo non pauca geſta ſunt. Cogitur hac de cauſſa reditum in Galilaeam ante iter Aegyptiacum expungere, & aliorſum verba S. Lucae trahere. Nec leve eſt incommodum explicare in hac hypotheſi colloquium Magorum cum Herode Jeroſolymis degente, cum ſatis conſtet veteratorem illum maximis tandem morbis per ea tempora conflictatum,

ſub mortem Callirhoes aquis uſum, & Jerichunte decubuiſſe & e vita excesſiſſe, vix autem ac ne vix quidem poſtremis menſibus Jeroſolymis eſſe verſatum. Doctiſſimus Henſchenius, Exercitatione 2. initio Propylaei aliquanto felicius exitum invenire conatur in re admodum impedita; rejectaque Herodis morte in Annum U. 750. Julianum 42. ante Paſcha, ita rationes ſubducit, ut ſtellae prima phaſis inciderit in Martium A.U. 748. Julianum 40. & in Evangeliſmum, Nativitas in poſtremos cadentis anni dies, Magorum adventus anno vertente in anniverſarium Divini ortus diem xxv. Decembris A. U. 749. Jul. 41. caedeſque Bethlehemitica triduo, vel quatriduo poſt in xxviii. vel xxix. Decembris, exacto viceſimo primo menſe poſt novi ſideris ortum. Sed neque eo anno obiit Herodes, ut ex Joſepho oſtendimus cum Lamio & ceteris, ipſoque Pagio conſignante Chriſti Nativitatem A.U. 748. cum Henſchenio: menſiſque ille viceſimus primus non tam recte componitur cum bimatu & tempore, quod Herodes tam accurate ſcrutatus eſt: ne quid adjiciam de Chriſti Nativitate citius quam oportuit conſignata ob Sentium Saturninum memoratum Tertulliano, cui nimis fidere videntur inſignes doctrina viri.

XXI. Henſchenianae hypoteſi antecelleret Papebrochii ſyſtema in Epiſtola ad Petrum Poſſinum Antuerpia miſſa An. Chr. 1685. & initio Propylaei edita cum Henſchenianis, & Poſſinianis Schediaſmatis. Nam & Nazarethum revertitur Jeſus ante fugam, & ſtella fortaſſe Januario menſe ſpectata, Deſponſationis Deiparae die, biennio fere praevertit cladi SS. Infantium patratae die xxix. Decembris, quo Orientales eam recolunt, ut Occidentales xxviii. Ceterum nulla ſatis idonea ratio affertur cur anno vertente rurſum Bethlehemum proficiſcatur anniculus puellus, quo tunc Magi perveniant. Nec vero Deſponſationis potius tempore quam Incarnationis ſtatuendus eſt novi ſideris ortus. Accedit, quae maxima eſt labes, Papebrochium valere juſſo Henſchenio, deſcendiſſe in Poſſini ſententiam, & mortem Herodis illigaſſe anno primo aerae noſtrae communis, & Urbis C. 754. & Servatoris Natalem diem praecedenti A. U. 753. quod tralatitium eſt atque tam abſonum quam quod maxime, perturbatque omnes Flavii Joſephi, & optimorum quorumvis Chronologorum rationes. Pugnant haec cum annis quibus Herodes rex fuit inauguratus, cum Caii Caeſaris (qui judex interfuit dum Archelaus, & Antipas de paterni regni ſucceſſione, & Herodis tabulis diſceptarent) geſtis, cum omnibus denique illorum temporum monumentis. His igitur repudium remittimus. Nemo mirabitur Eccleſiam La-

Digitized by Google

Latinam, & Orientales celebrare caedem SS. Innocentium triduo poſt Nativitatem, ut conſtat ex Menaeis, & Ruthenorum etiam tabellis, quas aeri inciſas exhibent Acta SS. tomo 1. Maii. Etenim cum dies ignoretur, recte nati Servatoris feſtos dies conſequitur. Eadem de cauſſa Rituales Graecorum Libri praeferunt imagines tam naſcentis Salvatoris, quam Magorum eodem die xxv. Decembris. Parvi autem refert ſpectari puerum munera accipientem fere anniculum, vel ſi mavis bimulum, cum eo fortaſſis natu paullo grandiorem pictores adumbraverint, quod Magos poſt Nativitatem aliquamdiu adveniſſe recogitarent: ſed illis quidlibet audendi ſemper poteſtas fuit. Porro nil vetat Magos Bethlehemum ſerius perducere in noſtro etiam Chronographico ſyſtemate, quod illud non parum confirmat.

XXII. Maneat ergo Herodem obiiſſe ineunte Martio A. U. 751. quinto circiter poſt necatos Infantes, & Antipatrum die, bienniοque ante, An. U. 749. menſe Martio, J. Chriſtum conceptum Spiritus Sancti ope, Decembrique in lucem editum fuiſſe. Enimvero paullo ante mortem bipedum nequiſſimus, nec alios nec vero ſeipſum ferens, ingentemque luctum parans, quo ſibi Judaei ingratiis juſta perſolverent, ſeroque tandem animadvertens ſibi a Magis illuſum, ferali edicto inſontes pueros gladio percuti juſſit. Cauſſa tanti ſceleris princeps ea fuiſſe videtur, quod unum regni ſucceſſorem Archelaum ſupremis tabulis conſtituerat; cumque Antipatrum regni cupiditate flagrare deprehendiſſet, neque eum ſpe decidiſſe intelligeret, & illius ſtudia minime obſcura eſſent, poſtquam patrem obiiſse ſibi in animum induxerat credere; tum & Antipatrum interfici juſſit, & eadem de cauſsa regem illum Judaeorum ſtellâ, & vulgi rumore celebrem, quem antea fortaſse ut rem ludicram contemſerat; & Bethlehemi adhuc degere aut deliteſcere putabat. Ut ut haec ſe habeant nil veriſimilius dici poſse videtur, & lepido Auguſti dicto a Macrobio litteris commendato egregie confirmatur. Herode mandante facile eodem tempore tam filius, quam inſontes pueri caeſi ſunt, vel ſaltem ſequenti die contigit horum crudelis laniena: cito enim perferri poterant Bethlehemum, ac perfici tyranni mandata, de quibus certiorem, cum ab aliis, tum vero maxime ab Herode redditum Auguſtum minime dubito; ſiquidem ex Auguſti ſententia fas illi fuit in filium perduellem animadvertere. Quod ſi quis pugnet pueros paullo ante Antipatrum necatos fuiſse, dabo id lubens; adnotabitque lector hypotheſim, vel Chronographiam hanc noſtram variarum ſententiarum propugnatoribus uſui eſse poſse, quod eam non ita facile reiiciendam eſse demonſtrat.

 XXIII.

Digitized by Google

XXIII. At vix a praeſepi diſcedentibus Magis fugam in Ægyptum, & graſsatam Herodis crudelitatem narrat Matthaeus : *qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens, ſurge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in AEgyptum, &c. Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis contriſtatus eſt valde, &c.* Sed Evangelium ſibi optime conſtat ; & tamen reditum in Galilaeam interſerit Lucas: quapropter Matthaeus ſimul quidem plura conjunxit, quia Hiſtoriam rei quam alius non attigerat contexuit, ſed non omnia ſimul evenere. Ad haec fas eſt praeſtantiſſimis viris adventum Magorum diu protrahere poſt natum Chriſtum, cum doceant anno tantum vertente, dieque anniverſaria ad ejus praeſepe, vel aedem acceſſiſſe, arbitranturque ſe minime deſciſcere ab Evangelica Hiſtoria, quae illis adverſari videtur : *Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam* ; cur igitur nobis nefas erit ita Matthaeum interpretari, ut poſtquam Magi abierunt, in pueros ſaevitum ſit, verum non ſtatim, ſed tredecim vel quatuordecim menſibus exactis, quod temporis intervallum non eſt immane? Si autem velint tempora in Chronotaxi noſtra ita diſtribui, ut An. U. 749. menſe Martio ſtella primum ſit viſa in Evangeliſmo, Decembri natus ſit Chriſtus, & anniverſaria die ſequenti Anno U. 750. advenerint Magi, vel 6. Januarii An. 751. non repugnabimus. Ceterum rationem ipſi reddant, cur tamdiu Magorum adventum producant, cur Bethlehemi puer anniculus non Nazarethi ageret; & ubi Herodes verſaretur perquirant diligenter, ne Jeroſolymis profectus ſit alio.

XXIV. Quoniam tum Natalem Chriſti diem in Decembrem, tum Deiparae Evangeliſmum in Martium coniicimus, nihil adtinet dicere, quantum Eccleſiae ſententiae congruenter diſſeramus, & quam vetus traditio altas ubique locorum radices egerit ab antiquis uſque temporibus, a quibus eſt repetenda. Agunt de hac anni tempeſtate & menſe natali non pauci, praeſertim Lamius in Apparatu Chronol. P. 1. c. 11. & Serrius Exercit. xxx1. nec Joſephi Scaligeri, Sethi Calviſii, & Samuelis Baſnagii argutiae unquam efficient, ut de Latinae Graecaeque Eccleſiae ſemita, vel tantillum deflectamus. Eruditi quidem viri illi ſunt, ſed ab Eccleſia extorres, ejus ritus libenter carpunt, notaque eſt eorum in hiſce rebus licentia: foenum habent in cornu. Clemens Alexandrinus memorat aliter quoſdam ſenſiſſe, de quibus tamen nullum tulit judicium : ſed J. Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique veterum nobis favent;

Digitized by Google

vent; Epiphanius autem, Caſſianus, & Theophilus Alexandrinus teſtes ſunt locupletes Ægypti Eccleſias in ſextam diem Januarii contuliſſe Nativitatem, Magorum adventum, Chriſti Baptiſmum, primumque prodigium in nuptiis patratum; quod noſtram potius quam adverſariorum cauſſam juvat. Conſulantur rituales Latinorum Libri, Graecorum Menologia, & pictae Moſcorum Ephemerides, Metricis Graecorum ſubjectae tomo I. Act. SS. Maii, patebitque ſumma conſenſio Orientis & Occidentis. Quantum autem hinc Chronologiae noſtrae pondus accedat nemo non videt, cum opinionem, quae ubique gentium merito inveteravit, confirmet, ab eaque lucem mutuetur.

XXV. Faceſſant ergo quotquot in Eccleſiam nova invehunt opinionum commenta ſacros faſtos rituſque turbantes, omniaque miſcentes. Mariae Evangeliſmus, Nativitas J. Chriſti & Circumciſio, Magorum adventus, Purificatio Deiparae, fuga in Ægyptum, ſtrages Bethlehemitica, & alia id genus ita exhibentur in Eccleſiaſticis monumentis, celebranturque quotannis ubique locorum ſolemni ritu, ut pluribus de iis agere nil aliud ſit quam abuti otio, & lectorum patientia. Satis eſt J. Chryſoſtomi & Auguſtini aetate Romanam Eccleſiam altricem ceterarum & principem ita ſenſiſſe, neque tum primum eas opiniones vulgatas moreſque invectos; haec enim omnia a *majoribus accepta*, ut Auguſtinus, ſarta tecta ſervavit, quod idem cenſet J. Chryſoſtomus. Valeant qui cornicum oculos ſe configere putant Scaligeri omnes atque Baſnagii cum ſuo illo brumali frigore, quaſi ſub miti temperatoque Palaeſtinae coelo, nec in agris Paſtores noctu, nec interdiu ulli iter habere poſſint, tametſi utrumque patiuntur regiones in Septentriones ſpectantes, ubi omnia alta nive complentur & horrido gelu rigent. Oroſium S.Auguſtini aequalem minime praeterire fas eſt, quod Florentiae extet antiquiſſimus ejus Codex Langobardicis litteris exaratus. Ita vero ille de menſe noſtro Natali L. 7. cap. 2. *Natus eſt autem* Chriſtus *VII. Kalend. Januarii quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt*, ut videre eſt pag. 456. nitidiſſimae editionis Havercampi: ſcribendum tamen *VIII. Kal.* vetuſtiſſimus Codex Bibliothecae Laurentianae qui mille fere annorum aetatem praefert, ut arbitratur eruditiſſimus amicuſque vir *Antonius Maria Biſcionius* eidem celebri Bibliothecae Praefectus, *diligentiſſimus examinator* merito ab Havercampo dictus. Haec ab ultima antiquitate repetita cum recta temporum ratione mire conſpirant, longeque praeſtant fabellis nudius tertius cuſis. Aliquanto ſane vetuſtior, ſed fabula tamen eſt, Julio Romano

Pon-

Digitized by Google

Pontifice auctore, Seculo IV. conſtitutum, ut natalis hic dies in xxv. Decembris conjiceretur, quaſi alia fuiſſet veterum opinio: Epiſtolam autem Joannis Nyſſeni a Combeſiſio noſtro publici juris factam magni aeſtimabunt fricti ciceris emtores; nos ne aſſis quidem facimus; naeniae ſunt, logi, fabulae.

XXVI. Sed quia Evangelicae Hiſtoriae fides ab impiis laceſſita vindicanda eſt paucis, animadvertere eſt operae pretium non adeo mirum videri, quod Ethnici Scriptores & Fl. Joſephus cladem Bethlehemiticam ſileant. Siquidem non ingens quaedam & populoſa civitas fuit Bethlehemum ſed exiguum oppidum, cujus ager anguſtis limitibus coerceretur: nec quondam puerorum vix natorum vitae adeo conſultum fuiſſe tralatitium eſt, & lippis atque tonſoribus notum. Quapropter recte ad Poſſinum ſcribit Papebrochius de finibus ejus agri: *Quos tamen fines non magnos debemus nobis fingere, ſic ut ipſam Jeroſolymam, immo & montana Judaeae complectantur, ſicut faciunt qui numerum occiſorum augere volunt, ipſumque Joannem Baptiſtam vocant in conſortium periculi, a quo eum mater Elizabeth in ſpeluncam fugiens liberavit: ſed debemus eos ab ortu & ſeptemtrione perquam exiguos concipere, qua ſcilicet fines Beniamiticae Tribus oppidum reſpexit, laxiores autem verſus meridiem, & occaſum, atque ad unam circiter leucam extenſos*. Id ipſum diu antea S. Epiphanius ſenſerat agens de Auguſti edicto & Bethlehemi incolis, (*de Haereſi Alogorum*) *Tum enim deſcriptio habebatur, & qui bellorum temporibus quae ſub Machabaeis extiterant diſperſi fuerant, quovis terrarum pervaſerant, adeo ut pauci omnino Bethlehemi remanerent. Quare in quodam Evangeliſtarum exemplari Davidis urbs dicitur, in alio vero vicus appellatur, quod agrum haberet anguſtum.*

XXVII. SS. Infantium caedes a Matthaeo litterarum monumentis mandata c. 2. Evangelii, celebri ut diximus Macrobii teſtimonio L. 2. Saturnal. cap. 4. confirmatur: agens enim de feſtivis quibuſdam lepidiſque Auguſti jocis, hunc quoque memoriae prodidit: *Cum audiſſet inter pueros quos in Syria Herodes rex Judaeorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*. Parvi refert Flavium Joſephum vel prae oſcitantia heic dormitaſſe, vel dolo malo lanienam tantam praeteriiſſe: an propterea Evangelicae Hiſtoriae grandem dicam ſcripſit? an rerum geſtarum fides idcirco nutat? Herodis crudelitatem caedeſque inſontium non prorſus tacuit: *Timore pavidus erat & ad omnes ſuſpiciones excita-*

citabatur, multoſque innocentes, metu nequem nocentium prae-termitteret in tormenta ducebat. L. 1. de Bello cap. 19. πολλούς τε τῶν οὐκ αἰτίων εἷλκεν εἰς βασάνους, δεδοικὼς μή τινα τῶν αἰτίων παραλίπῃ. Fac tamen haec non ſcripſiſſe: quid illinc elicies? obluctari Evangelicae narrationi? Scilicet ex pumice aquam. Aliud de ſtrage Bethlehemitica conſilium ei fuerit; falſi ne idcirco Evangeliſten poſtulaverit? Nonne ſatius foret Matthaeo vetuſtiori Hiſtorico & candidiori, qui ne ſuas quidem labes ſiluit, Auguſto Principi Maximo, & Macrobio Ethnico viro longe eruditiſſimo, fidem adjungere? Hi pueros tyranno immaniſſimo jubente peremtos docent, Chriſtiani veteres confirmant, Joſephus nuſquam inficiatur.

XXVIII. Macrobius Vir Conſularis neque II. neque X. Chriſti ſeculo floruit, ſed IV. cadente & V. religione minime Chriſtianus. Ita etiam cenſet eruditiſſimus Fabricius tomo 2. Bibliothecae Latinae L. 3. c. 12. nu. 9. Sane qui conloquuntur Ethnicis ſacris addictiſſimi ſunt, Symmachus Conſul ob aram Victoriae, quam in Urbe reſtituendam curavit, acerrime S. Ambroſio Mediolanenſium Antiſtiti, ſed fruſtra, adverſatus, Flavianus Praefectus Praetorio Eugenianarum partium homo, Servius Virgilii Scholiaſtes, & Avienus poeta: nam Nicolao Antonio in Bibl. Vet. Hiſpan. Chriſto nomen dediſſe Rufum Feſtum Avienum rato non accedimus, ſed Fabricio, inibi cap. 11. Fallitur vero Grotius dum confuſas longe diverſarum rerum narrationes duas a Macrobio ſuſpicatur, alteram de Infantium clade, alteram de Antipatro, jubente patre interfecto. Rumor ad Auguſti aures pervenerat utrumque in Syria, ob ejuſdem regis ſaevitiam ſimul fere eveniſſe; quidni potuit non tam joco quam ſerio Herodis immanitatem perſtringere, ob alterum tantum, quod ab humanitate magis abhorrere & atrocius videbatur, videlicet ob ſublatum crudeliter eo tempore, non puerum, ſed cum pueris filium regnique heredem: & memor necis Alexandri & Antigoni, Herodis pariter liberum, feſtive, ac vere dicere *melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*?

ridentem dicere verum
quid prohibet?

At ne vocula quidem παιδοκτονίαν Auguſtus ſugillavit. Fortaſſe id quoque doluit & eſt execratus; ſed nonnulla verba quattuor conſecutis ſeculis excidiſſe quid mirum? Neque ea Macrobius de jocis agens in loco laudaſſet niſi lepida admodum extitiſſent. Huetius in Demonſtratione Evangelica Macrobium vindicat a Grotii paullo moroſioris, & ini-

quio-

Digitized by Google

quioris argutiis. Non eſt igitur dubitandum de fide tam locupletum teſtium, & operam vir celeberrimus ludit nodum in ſcirpo quaerens. Ethnicus ergo Imperator, atque Ethnicus Scriptor Evangelicam Hiſtoriam tuentur: qui vero Macrobium reluctantem ad Chriſtiana caſtra nituntur perducere laterem lavant; cum ne veſtigium quidem verae religionis in ejus operibus appareat, ſed omnia ſomniorum divinationibus ſuperſtitioſis, fabulis, ritibuſque Idololatrarum ſcateant.

XXIX. Magorum adventum Bethlehemum, ferale Herodis edictum, cladem que patratam ne quis ejus domum ſolio deturbaret, ullamve exhiberet moleſtiam, Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimi Celſus Epicureus, Porphyrius, & Julianus Auguſtus ὁ παραβάτης ad fabulas amandant: nos illos nugari atque adeo falli ſatis novimus. Ne verbum quidem Ethnicarum partium ſcriptores fecerint; quid illinc exculpunt hircum mulgentes? Matthaeus qui ne ſua quidem probra reticuit, quo erat candore haec perſequitur: id ſatis utique eſſe debuit; ſed homines ſceleribus corruptos & ſuperſtitioſo malorum Daemonum cultu furentes, ne domeſtici quidem teſtes commoviſſent, quodque ſub oculos etiam cecidiſſet rejiciendo, non ſuaderi ſe, verum ludi ſenſus fucumque fieri continuo pronuntiaſſent. Prodit nihilominus, velint nolint, in ſcenam Chalcidius Ethnicus de Magis loquutus, cauſſamque nobis adjudicat. Chalcidii praeſtantiſſimi Platonis interpretis aurea cedroque digniſſima verba exhibemus ex Comment. in Platonis Timaeum editionis Hamburgenſis Cl. viri J. Alberti Fabritii Lipſienſis An. Chr. 1716. *Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quae perhibet ortu ſtellae cujuſdam, non morbos morteſque denuntiatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanae conſervationis rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldaeorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum coeleſtium ſatis exercitati quaeſiſſe dicuntur recentem ortum Dei: repertaque illa majeſtate puerili veneratos eſſe, & vota Deo tanto convenientia, nuncupaſſe, quae tibi multo melius ſunt comperta, quam ceteris.* Omnia luſtrent inquirantque diligenter quo ſe vertant Chriſti hoſtes: nullum patet effugium quo ſe proripiant.

XXX. Chalcidius graviſſimus e Platonica diſciplina ſeculo Chr. IV. Philoſophus, Chriſto nomen dediſſe nonnullis eruditis Viris dicitur, quibus accedit Fabricius. Quid vero faciemus illis qui Carthaginienſis Eccleſiae Diaconum vocant? Archidiaconum quidam conſtituunt: his enim muneribus magna aevi noſtri liberalitate eſt auctus. Quondam

Vir

Vir Clariſſimus nuncupabatur, quod aliud quidpiam praeſeferebat, neque *Diacono ſatis convenit*, ut Caveo obſervatum Hiſtor. Literar. De Moſe praeclare ſentit & plura ab illo mutuo accipit; ceterum de Divina Prophetae inſpiratione loquens interſerit τὸ *ut ferunt* ὥς φάσι, quod cauſſae potius officit, vim certe Divinae Revelationis infringit. Verum novae Legis Sacra Volumina ignorat, & materiae mundique aeternitas cum aliis Ethnicae Philoſophiae placitis fidem faciunt, Chriſti Doctrina Scriptorem hunc minime fuiſſe imbutum, quamquam ab ea vix abhorret: non quia Platonicum Chalcidium exiſtimemus Chriſtianum eſſe, ſed quia fortaſſe Chalcidius Chriſtianos Platonicis favere credidit. Itaque Cavei magis quam Fabricii ſententiam heic probamus. Ceterum non opus eſt percurrere a capite ad calcem Chalcidii opus, ut de ejus Religione judicium feramus: ſatis fuerit oculos conjeciſſe in ea quae ἀμέσως dixerat ante prolata in medium praeclara illa de Magis Deoque puero verba: patebit enim AEgyptios non minus quam Hebraeos ab illo coli, vocarique prophetas, & ſuperſtitione veterum infici: *AEgyptiorum quoque prophetae Stellam quamdam aliquot annis non viſam verentur, quam vocant Ahc. Porro ſidus exoriens morbos populorum multorumque optimatum mortes denunciat. Homerus denique qui idem fuerit AEgyptius, ſiquidem Thebanus fertur, quae Civitas eſt apud AEgyptum nobiliſſima, idipſum latenter exequitur in Iliadis exordio, cum dicit propter iram Achillis, cujus pater Peleus, mater vero maritima fuerit Dea, morbum atque interitum, non modo clarorum Virorum, ſed aliorum quoque animalium, & pecorum bello neceſſariorum extitiſſe; quo quidem ſumto exordio cetera poetica licentia finxit. Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior Hiſtoria quae perhibet, ortu Stellae cujuſdam &c.* Aliud putat eſſe quod poeta fingit, aliud quod AEgyptii prophetae tradunt, quibus non minus fidit quam Hebraeis. Platonis igitur non Chriſti Diſcipulus & cultor Chalcidius fuit; Ethnicique Philoſophi teſtimonio Hiſtoria Sacra confirmatur; cui pariter illuſtrandae atque tuendae uſui eſſe poteſt Chronotaxis noſtra, atque conſtituta temporum ratio, conjectis in Annum U.C. 749. Stellae ortu, Incarnatione & Nativitate, in An. U. 750. Magorum adventu, & in A. U. 751. caede Bethlehemitica, & Herodis morte.

G CA-

CAPUT IV.

Illud veriſimillimum videtur, J. Chriſtum Anno vulgari XXVIII. ineunte Baptiſmo eſſe perfuſum, & I. Paſcha poſt Baptiſmum celebraſſe: Anno XXIX. Paſcha II. poſt Baptiſmum: Anno XXX. Paſcha III. idque ſupremum; eodemque crucis ſupplicio affectum fuiſſe.

I. Comperta res eſt Joannem Baptiſtam Anno XV. Imperii Tiberii Caeſaris baptiſmum adminiſtrare coepiſſe, ut Lucas Evangel. c. 3. memoriae prodidit, quamquam de imperio, & epocha ejuſmodi variae ſunt ac diſcrepantes eruditorum hominum ſententiae. Illinc quoque arceſſendum eſſe Chriſti baptiſmum, jejunium, atque initium prodigiorum quae patravit, & coeleſtis doctrinae, qua homines imbuit, exploratum videtur. Veteres Patres in eundem XV. annum omnia conferunt, nec inter Joannem prodromum a Deo vocatum ad ſanctiſſimum munus, ac Filii Dei Baptiſmum ſolidum annum, aut eo amplius, interiici putant. Haec in rem noſtram habet Euſebius Caeſar. L. 8. Demonſtr. Evang. *Merito tempora, quibus Judaeorum principes defeciſſent, Lucas Evangeliſta ſignificans, initium Doctrinae Chriſti narrat factum eſſe in Anno XV. Imperii Tiberii Caeſaris, Procurante Pontio Pilato Judaeam.* Nobis religio eſt ab eorum ſententia deſciſcere, cum conſenſione maxima id teſtentur, nec quicquam quod ſacris litteris adverſetur, contra poſſit adferri.

II. Fruſtra eſt quod opponitur ex Luca eodem capite, *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, &c.* ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν. Ecquis enim tam eſt hebes qui non reponat, Jeſum aqua Jordanis perfuſum dum ceteri baptiſmo initiarentur, non poſtquam omnes abluti ſunt? Nec vero pluris aeſtimamus quod eruunt ex cap. 1. Divini ejuſdem Scriptoris, *Et ipſe praecedet ante illum in ſpiritu, & virtute Heliae, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad poenitentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam,* & ex eo quem *implevit curſu* Joannes. Ut enim alia miſſa faciamus, oportuit primum, eos qui antiquorum Patrum veſtigiis non inſiſtunt, oſtendere, verba inibi fieri de *paranda plebe* ad baptiſmum Chriſti, implendoque ante baptiſmum hujuſmodi omni munere. Id ſi conantur, oleum atque operam perdunt.

Non

Non igitur fas eſt poſt Joannem e deſertis locis excitum, tamdiu contra Patrum ſcita Chriſti baptiſmum protrahere.

III. Quoto aetatis ſuae anno humanis generis Reparator Baptiſmo perfuſus ſit, ſi res ad vivum reſecetur, plane non conſtat ex Evangelio, ubi triceſimum quidem legimus, ſed adjecta particula *fere*, *circiter*, ὡσεὶ, qua S. Lucas non obſcure innuit, numerum, ut perſaepe uſuvenit, ſe non ita religioſe praeſtituere. Accipit quoque ἀπορητικῶς eandem voculam, cap. 22. Evang. v. 41. *Et ipſe avulſus eſt ab eis* ὡσεὶ λίθȣ βολὴν *quaſi jactu lapidis*, ut animadvertit Petavius, de doctr. temp. L. 12. cap. 5. Hinc Juſtinus M. altero Eccleſiae ſeculo, in Dialogo cum Tryphone, *& triginta plus minus annis manens, donec prodiit Joannes ipſius praeco &c.* ἢ πλείονα ἢ καὶ ἐλάσσονα. Indidem etiam fluit, eodem anno, ac tantum non menſe, conſignare Juſtinum Joannis munus, & Chriſti baptiſmum. Itaque anno aetatis triceſimo unum vel alterum adiicere, vel ex eo quidpiam detrahere, cuivis fas erit, licentia ſumta pudenter.

IV. Quam longiſſime ab iis abſumus qui S. Lucam de ineunte anno aetatis triceſimo interpretantur; quandoquidem cui bono adponere particulam ὡσεὶ *quaſi*? Ecquis hanc ferat loquendi rationem: ineunte quaſi anno viceſimo Romani hoſtibus bellum indicunt? Ceterum τὸ *incipiens* Evangelicae doctrinae primordia ſpectat a Chriſti baptiſmo repetenda; ut Act. 2. *incipiens a baptiſmate Joannis, uſque in diem qua aſſumtus eſt a nobis*, & Act. 10. *Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judaeam. Incipiens enim a Galilaea poſt Baptiſmum quod praedicavit Joannes, &c.* utique paullo poſt, ut ex Joannis miniſterio Chriſti κήρυγμα, & Evangelicae doctrinae exordium innoteſcat. Dignum quod obſervetur eſt, id namque operae pretium fuerit identidem monere, hic pariter tempus baptiſmi, immo doctrinae Chriſti cum Joannis miniſterio atque baptiſmo conjungi, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννȣ. Statui igitur poteſt peractum eſſe Chriſti baptiſmum anno aetatis illius 29. vel 30. vel 31. plus minus.

V. Tria, non quatuor, poſt baptiſmum Paſchata Chriſtum celebraſſe, ex recentioribus contendunt Petavius, Pagius, Bernardus Lamius, &c. emunctae naris viri & de re Chronologica optime meriti: quod quidem veterum monumentis magis eſt conſentaneum. Nam horum quidam, orthodoxi quamquam ſcriptores, duo tantum recenſent, tria Irenaeus L. 2. contra Haereſ. cap. 22. edit. Maſſueti; & Epiphanius priorem ſententiam carpens, de Haereſi Alogorum, nu. 22. *Nec illud*

impudentiſſimi homines animadvertunt non duo ſolum in Evangeliis Paſchata comprehendi; ſed ad priora illa duo tertium accedere, in quo Salvator eſt paſſus, ut omnino tria ſint toti illi praedicationis tempori tribuenda. Quapropter illis accedimus, qui feſtum diem Judaeorum memoratum cap. 5. v. 1. Evangelii S. Joannis, diverſum a Paſchate, cum Chryſoſtomo, aliiſque ſtatuunt. Sane tanto temporis intervallo ab hujuſmodi feſto Paſchalive die ad Paſcha, cujus meminit Joannes, cap. 6. v. 4. longe plures res geſtas Evangeliſta complecteretur.

VI. Poſtulat inſtituti noſtri ratio ut de anno priore Procurationis Judaicae Pilati paullo diligentius diſſeramus, quod eo munere fungeretur dum Chriſti Praeco a Deo eſt vocatus. Pilatus annos decem in Judaea verſatus eſt, teſte Joſepho L. 18. Antiquit: veriſimile eſt autem illinc diſceſſiſſe anno vulgari 37. paullo ante Paſcha; quapropter ſi eo appuliſſet ante ver ann. 27. aliquanto pluſquam decennium in Judaea egiſſet. Fac autem nonnihil addi oportere, unum vel alterum menſem, nihilominus ineunte anno 27. illuc adveniſſet. Quod ſi plures menſes accedant, haud ſcio cur decem potius quam undecim anni colligantur. Nullam menſium injecit mentionem Joſephus ſcriptor ceteroqui admodum accuratus: verum qua ratione decennium protrahitur, imminui etiam poterit, menſes aliquot decerpendo. Satius ergo fuerit decennium inlibatum relinquere, & Hiſtorico diligentiſſimo auſcultare.

VII. Vitellius qui Syriae praeerat, miſſo Marcello, flagitioſum hunc Procuratorem, & publicae tranquillitatis hoſtem Judaea excedere, & in urbem ſe conferre jubet; cui Pilatus obſiſtere minime auſus, obtemperat, & Romam verſus proficiſcitur. Praeſes vero Hieroſolymis adeſt, urbem ingreſſus dum Hebraei, quorum gratiam aucupatur, ſolemni ritu Paſcha celebrant (incidit anno 37. feſtus hic dies in 18. Aprilis, vel in 19.) Itaque Aprili, aut vere ineunte Pilatum ex Judaea Romam profectum non abhorret a veritate, eoque magis quod ea tempeſtas tranſmittendo mari, habendove itineri ſit apta, Romam autem adpulerit, poſtquam Tiberius vita exceſſerat (menſe Martio an. 37. vulg.) ut Joſephus adnotat. Haec quidem magnam veri ſpeciem praeſeferunt, quae ſi ita evenere, ut facile quivis conjecturam facere poteſt, actum eſt de hypotheſi conſtituente Chriſti Baptiſmum anno 27. menſe Januario, aut anno 26. menſe Novembri, cum ante Chriſti Baptiſmum, & Joannis miniſterium, Pilatus Judaeae Procuratorem ageret.

VIII. Quae

VIII. Quae hactenus adnotavimus non eo ſpectant, ut rata omnino eſſe atque ita prorſus ſe habuiſſe arbitremur. Id unum agimus, ut oſtendamus non conſtare an Pilatus autumno anni noſtri communis 26. in Judaeam conceſſerit, ac propterea ſatius videri Chriſti baptiſmum ad initium anni noſtri 28. aut finem anni 27. protrahere; quod propter S. Epiphanii auctoritatem, & Novembrem ab eo, Myſterio hoc conſecratum, dictum volumus. Hinc patet, ut Noriſius (de Cenotaph. Piſan.) obſervat, nulla ratione probari poſſe eorum Sententiam, qui Pilatum in Judaea egiſſe ſtatuunt anno vulgaris erae 25. in finem vergente, ut cum Sententia de Chriſto in Crucem acto anno 29. aliam de quatuor Paſchatis componant. Enim vero cum Paſchata haec celebrata ſint, ut illi ſciſcunt, annis 26. 27. 28. 29. Chriſti Baptiſmus Pilati in Judaeam adventui praeit, quod Sacram Evangelii Hiſtoriam funditus convellit.

IX. Primum Servatoris Paſcha, paucis a baptiſmo menſibus, peractum eſſe anno vulgari 28. egregie confirmant anni 46. elapſi a Templi conſtructione, quam Herodes aggreſſus eſt anno Regni 18. ab Antigoni nece, captiſque Hieroſolymis. Anno Urbis conditae 735. uſque ad aeſtatem, Pagio teſte in appar: labebatur annus 18. Herodis: atque ut maximam celeritatem cum ingenti ad tantam aedem apparatu componamus, initium operis, circa Paſcha anni U. C. 735. ſtatuimus. Porro a Paſchate anni 735. ad Paſcha anni 781. qui idem eſt atque Dionyſianus noſter 28. fluunt anni 46. Dum igitur Judaei Paſchatis primi tempore, ut liquet ex Joannis Evangelio, cap. 2. cum Chriſto expoſtulantes de nova quadam, planeque admirabili inſtauratione Templi excitandi *tribus diebus*, reponebant, *quadraginta & ſex annis aedificatum eſt Templum hoc*, annus fluebat Urbis 781. Chriſtianus autem 28. Bernardus Lamius initium Templi ab Herode inſtaurati revocat ad annum Urbis 738. quod e re ſua eſſe intelligeret ut annus 46. incideret in Dionyſianum 31. Qui ita rationes ſubducunt & illud pernegare poterunt bis duo eſſe quatuor; ſed inſerviendum erat opinioni quam ſemel imbiberat. Conſulatur Joſephus L. 14. & 15. Antiquit.

X. Hoc pariter anno 28. primum a baptiſmo Paſcha celebratum cenſent veteres illi ſcriptores qui annis triginta Chriſti vitam definiunt, mortemque in annum 29. Tiberii XV. conjiciunt. Animadvertendum quippe, ſi eos audimus, duo dumtaxat poſt baptiſmum Paſchata labi, omneque Evangelicae Praedicationis tempus, annum unum, nonnulloſque praeterea menſes complecti. Origenes L. 4. περὶ ἀρχῶν, Chriſtum

ſtum uno anno, & aliquot menſibus docuiſſe tradit. Itaque Clemens Stromateus Origenis praeceptor, ac Tertullianus Clementis aequalis, ne alios recenſendo moleſti ſimus, anno aerae noſtrae 28. prius Paſcha conſtituunt, anno vero qui conſequitur, viceſimo nono, alterum Paſcha, ipſis poſtremum. Quo fit ut hujuſmodi Chronotaxis auctoritate vetuſtiſſimorum ſcriptorum, qua Graecorum, qua Latinorum, confirmetur, eique non parum ponderis accedat.

XI. Quod ad Clementem Alexandrinum pertinet, res minime impedita videtur. Sed ipſum audire praeſtat Lib. I. Stromat. (edit. Oxon. an. 1715. pag. 407. Quod autem hoc verum ſit, ſic ſcriptum eſt in Evangelio ſecundum Lucam: *Anno quintodecimo Tiberii Caeſaris factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariae filium*; & rurſum in eodem: *erat Jeſus veniens ad baptiſma quaſi triginta annorum*. Et quod annum ſolum, ἐνιαυτὸν μόνον, oporteret eum praedicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt, *annum acceptabilem Domini praedicatum miſit me*. Hoc propheta dixit, & Evangelium. Quintodecimo ergo anno Tiberii, & quintodecimo Auguſti, ſic implentur triginta anni uſque ad tempus quo paſſus eſt. Contigit igitur primum Paſcha anno 28. erae Chriſtianae, ex Clemente; neque anni Tiberii hic ſupputantur niſi ab Auguſti morte, ut ex 15. annis Auguſti, & totidem Tiberii, triginta conſlentur.

XII. Ex Tertulliano quoque, primum, de quo eſt ſermo, Servatoris noſtri Paſcha pertinet ad vulgarem annum 28. ut quivis facile intelliget ejus Librum adverſus Judaeos conſulens: *ſupervixit idem Auguſtus ex quo naſcitur Chriſtus annis 15. Poſt enim Auguſtum, qui ſupervixit poſt nativitatem Chriſti, anni 15. efficiuntur: cui ſuccedit Tiberius Caeſar, & imperium habuit annis 22. menſibus 7. diebus 20. Hujus quintodecimo anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi 30. cum pateretur*. A Clemente Tertullianus ne latum quidem unguem diſcedit; iidem apud utrumque triginta anni orti ex 15. Auguſti, & Tiberii totidem. Quod argumento eſt Tertullianum pariter prius illud de quo diſceptamus Paſcha, anno vulgari 28. conſignaſſe.

XIII. Neque Clemens, neque Tertullianus utuntur epocha Imperii Proconſularis Tiberii, triennio vel quadriennio ante Imperium ejuſdem Auguſteum figenda. Quamquam enim Clemens ibidem (*L.* I. *Strom. pag.* 406.) Tiberii Imperio cum quibuſdam quadriennium adjiciat, nihilominus ab Auguſti morte annorum initium ſemper arceſſit. *Quidam*

Roma-

Romanorum Imperatorum tempora ſic deſcribunt. C. Julius Caeſar Annis tribus &c. Poſt quem regnavit Auguſtus annis quadraginta ſex, menſibus quatuor, die uno. Deinde Tiberius annis viginti ſex, menſibus ſex, diebus 19. Huc accedit ex hujuſmodi epocha Imperii Proconſularis ſequi, annum XV. Tiberii incidere in XXV. communis erae ineuntem, quo ſane in confeſſo eſt apud omnes nondum Pilatum Judeae Procuratorem egiſſe.

XIV. Quod addunt ex Tertulliano, ut epochae huic nutanti opem ferant, L. I. adv. Marcionem, eam non admodum juvat. *Interim quaecumque ſubſtantia eſt cum ſuo utique Deo apparuiſſe debuerat. At nunc quale eſt, ut Dominus a* XII. *Tiberii Caeſaris revelatus ſit, ſubſtantia vero a* XV. *jam Severi Imperatoris nulla omnino comperta ſit.* Si triennio ante annum 29. vulgarem, Imperii Auguſtei XV. contigit Chriſti revelatio, Baptiſmus, primumque Paſcha, anno videlicet 26. utique ineunte, & Proconſularis Imperii XV. Joannes Baptiſta a Deo vocatus non fuiſſet *procurante Pontio Pilato Judaeam*; ut ſilentio praeteream ea verba ac notas XII. *Tiberii Caeſaris*, a verbis Evangelii diſſidere, & cum ipſomet Tertulliano adverſus Judaeos pugnare. Itaque ſuſpicor vel epocham ejuſmodi a Marcionitis quibuſdam uſurpatam fuiſſe, non a Tertulliano, vel locum corruptum eſſe, & loco II., reſtitui oportere V.

XV. Hujuſmodi Imperium Proconſulare quodcumque illud fuerit, Tiberio collatum videtur anno fere ante Auguſti mortem, Dionyſiano 13. non undecimo, ut Pagius cenſet, ac ſuadere conatur; niſi enim ita res habeat labaſcit Chronotaxis illius, & peſſum ruit. Svetonius in Tiberio, poſt illius reditum e Germania, ac triumphum, quem in annum communem 12. conferunt, latam fuiſſe legem de Imperio memorat. *A Germania in Urbem poſt biennium regreſſus, triumphum quem diſtulerat egit. Ac non multo poſt lege per Coſs. lata ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro, in Illyricum profectus eſt.* Triumphus ſpectat ad Annum Chr. 12. luſtrum & Illyrica expeditio ad Annum 14. quo Auguſtus obiit. Paucis res triennio geſtas complectitur Svetonius, ac facile crediderim ſequenti Anno 13. eam legem latam eſſe. Certe non ante cadentem Annum 12. triumphavit Tiberius, cum ab Anno Chr. 4. labente ad hunc in Urbem reditum *anni novem continui* numerentur a Vellejo, & Pagio (An. Chr. 12. n. 2.) Anno vero Chr. 4. poſt adoptionem Tiberii, quae V. Cal. Julias contigit, novennium hujuſmodi inchoetur.

Ex

Ex Velleii novennio triumphus rejiciendus eſſet potius in Annum 13. Ut ut haec ſe habeant nonniſi anno fere ante Auguſti mortem, Lex in Oriente innoteſcere, vulgari, & in uſum revocari potuit. Hinc Noriſius non Anno vulg. XI. conſtitutam putat, ſed XII. longe vero melius *Pighius tom.3. Annal. apud Noriſium eumdem diſſert.2. de Cenotaph. Piſan.* anno XIII.

XVI. Vellejus haec paullo aliter narrat *L.2. cap.*121. *Cum Senatus Populuſque Romanus, poſtulante patre ejus ut aequum ei jus in omnibus provinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſſet = In Urbem reverſus, jam pridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Dalmatiſque egit triumphum.* Videntur quidem pugnare Vellejus atque Svetonius, quod alter ante triumphum, alter poſt ipſum legem conditam velit. Sed componi haec poſſunt, animadvertendo, antea legem decretumve condi, & poſt reditum in Urbem vulgari, Tiberio ipſo fortaſſe reluctante, quemadmodum contigit, Vellejo teſte, ante adoptionem ob tribunitiam poteſtatem &c. *eoque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus = multum quidem eo cum domi tum in Senatu recuſante &c.* & poſt Auguſtum quoque, cum ab Imperio ſe abhorrere palam profiteretur, vel aliis de cauſſis nobis minime perſpectis. Profecto noverat Svetonius cladis Varianae tempore, ante Germanicam expeditionem triumphum decretum Tiberio, quem multo poſt agere coactus fuit, *quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique, & magni honores.* Potuit utique non abſimili modo decretum edi de Imperio Proconſulari in eumdem conferendo, quo tamen poſtea auctus fuerit. Pagius de hac Scriptorum, ut ipſe ac Noriſius arbitrantur, pugna haec adnotavit. *Uter erraverit, incertum, eoque magis quod Clemens Alexandrinus ab utroque diſcrepet, ut mox vidimus.* Sed Romanorum Hiſtoricorum diſſidium lucro apponit vir doctiſſimus, ne Svetonii teſtimonio ejus Chronologia evertatur. Pugnare autem Svetonium cum Vellejo tam eſt verum, quam Clementem ab utroque diſſidere ob Imperii Proconſularis epocham prius conſtitutam.

XVII. Annus XV. Tiberii apud Lucam c.3. eſt annus erae Chriſtianae partim 27. partim 28. Auſpicatur illum Syrus Evangeliſta ab autumno anni 27. undecim fere menſibus ante initium quintidecimi anni Imperii Auguſtei Tiberii (inchoati labente menſe Auguſto Anni 28.) idque tum more Syrorum, tum ob collatam Tiberio poteſtatem in Provincias, uno circiter Anno ante ſupremum Auguſti Imp. diem, Imperium-

riumve Proconſulare, quo Tiberium eundem auctum noverat ab Auguſto, populo, Senatu, Conſulibus. Proconſulare Imperium antea vix notum, vel in uſum revocatum eſſe potuit in Syria. Hujuſmodi Annus eſt 15. Tiberii, non ob unum Proconſulare, ſed propter utrumque. Satis quidem foret mos Orientalium: ut enim poſt Petitum obſervat Voſſius (qui Lucam cenſet numerare Annos more Judaeorum, vel Antiochenorum, non Romanorum de Annis Chriſti differens) ex Judaico canone *dies unus in fine Anni pro Anno computatur*. Satis quoque foret Proconſularis epocha; ſed dum ſimul conſpirant, Annus 15. in praeclaro lumine conlocatur.

XVIII. Veteres qui Anno Chriſti 28. primum a baptiſmo Paſcha peractum ſentiunt, ita S. Lucae verba interpretari coguntur. Sed aberrarunt qui Anno 29. Dei Filium Crucifixum arbitrati ſunt, unius fere Anni ſpatio tot res geſtas complexi, ut nonnullis tum Catholicis tum Haereticis, diſpari tamen ratione, uſuvenit: aberravitque J. G. Voſſius eorum premens veſtigia. Annum priori adjicere oportuit, & ſupremum Paſcha conferre in ſequentem Annum Dionyſianum 30. Imperii Auguſtei Tiberii, Romano more 16. Patet idcirco illos ſibi conſtare, qui in Annum 15. Tiberii coniiciunt primum atque ſupremum Chriſti Paſcha, cum duplex Annus, diverſa utique ratione diceretur quintus decimus, tum qui eſt nobis 28. tum qui eſt 29. Ne cui vero mira haec videantur, adnotare lubet, doctiſſimum Petavium ab hac methodo minime abhorrere *lib.12. de doctr. tempor. c.5.* ubi Scaligerum exagitat conatum ex Anno 15. Tiberii apud S. Lucam Annum Chriſti natalem conſtituere. *Denique quis ariolari poſſit utrum Lucas Annorum Tiberii primordium ab ipſo Juliano menſe quo Imperium iniit an ab antecedenti Niſan, vel autumno, ut Antiochenis mos erat inchoarit?* Rurſum L. eodem 12. c. pariter 12. haec in rem noſtram habet, differens de Anno Paſſionis ex Euſebii & Epiphanii ſententia, *Sed in horum explicanda ſententia minus attente pleroſque verſari video, qui Imperatoris illius* (Tiberii) *Annos, more Romano, ab eo die quo Imperium iniit, computandos exiſtimant: quod non ita eſt. Etenim a populari civitatum ſuarum exordio Patres illi Annos inchoabant, nimirum ab autumno antecedente aeſtatem illam, qua Auguſtus exceſſit*.

XIX. Clemens Stromateus ea profert *Lib.1. Strom.* quae nobis annoque huic vulg.30. Chriſti poſtremo, aperte favent. Principio Mortem Reparatoris noſtri conſignat Anno Tiberii 15. tum vero non-

H nulla

nulla habet de die natali, ac de ſententia Baſilidis ſectatorum circa Baptiſmi tempus: tandem de Anno Chriſti ſupremo iterum agens animadvertit arbitrari quoſdam, quos magis acutos, accuratoſque vocat, Paſſum eſſe Dominum Anno 16. Tiberii, qui utique eſt communis 30. ut Annus 15. illi erat, Pagio fatente, 29. *Et de ejus Paſſione ſubtilius differentes aliqui, ſextodecimo Anno Tiberii Caeſaris 25. Phamenoth, alii vero 25. Pharmuti, alii autem Pharmuthi 19. dicunt Paſſum eſſe Dominum*, τὸτε πάθος αὐτȣ̃ ἀκειβολογούμενοι φέρουσιν οἱ μὲν τινες τῷ ἑκκαιδεκάτῳ ἔτει τιβερίου καίσαρος. κ. τ. λ. Ut ut ſit de variis menſibus atque diebus, in quibus deſignandis facile error mendumve ſubrepere poteſt; comperta res eſt ſecundo Eccleſiae ſeculo exiſtimaſſe ſubacto ingenio viros Annum Mortis Chriſti fuiſſe 16. Tiberii: Neque enim quis adeo deſipiat ut Proconſulare quorumdam Imperium hic ingratiis obtrudat, & omnia turbet, & Paſſionem ineptiſſime revocet ad Annum vulgarem 27. quod neque acutiores, neque vero hebetiores Chronographi unquam cogitarunt.

XX. Annum eundem Dionyſianum 30. Tiberii 16. Chriſti poſtremum fuiſſe arbitratus eſt ineunte ſeculo III. inſignis ille temporum metator Julius Africanus, qui in re Chronologica palmam ceteris ejus aequalibus praeripuiſſe videtur. Ejus teſtimonium apud Euſebium *lib.*8. *Demonſtr.* & in fragmento Syncelliano extat ſatis perſpicuum. Exiſtimat Anno 2. Olympiadis 202. Tiberii 16. contigiſſe tum Chriſti mortem, tum eclipſin a Thallo, & Phlegonte memoratam. *A Nehemia &c. = Artaxerxis* 20. *& ab Olympiadis* 83. *Anno* 4. *ad hoc uſque tempus, & Olympiadis* 202. *Annum* 2. *Tiberii vero Caeſaris Annum* 16. *alii Anni* 475. *putantur, qui Hebraeorum An.* 490 = *coaequantur*, ὀλυμπιάδος σβʹ ἔτος δεύτερον τιβερίȣ δὲ καίσαρος ἡγεμονίας ἔτος ιϛʹ. Quapropter Africanus Scriptor in doctrina temporum apprime verſatus ea tempeſtate, hac quidem in re ſenſit idem quod antea calculo ſuo probaverant viri ex Clemente longe acutiſſimi.

XXI. Cum Olympiadis 202. Annus primus laberetur Anno erae Chriſtianae 30. & Tiberii 16. verna tempeſtate, qua Chriſtus Cruci ſuffixus fuit; mirari quis poſſit, non priorem, ſed alterum hujus Olympiadis Annum ab Africano cum 16. Tiberii necti. At nodum ſcite Petavius diſſolvit adnotando alios quoque Orientales Scriptores Olympiades proleptice auſpicari, vel a verno aequinoctio, vel ab autumnali quod praeceſſit: quo fit ut vernis menſibus ſecundus Annus a primo non

diſcre-

Digitized by Google

diſcrepet. Pagio fatente (qui nobis Africanum eripere nititur, ut teſte tam locuplete ſuam firmet Chronotaxin, Chriſtique mortem in ſuperiorem annum 29. rejiciat) Olympias Euſebiana in Chronico uſurpata tum ab Euſebio, tum a S. Hieronymo, in Continuat. exordium ducit ab autumno antecedente proleptice cum anno populari. Itaque non abſimili methodo uſus Africanus conjungit ſecundum Olympiadis 202. annum cum ſextodecimo Tiberii. Conſul. *Pagius Diſſert. de Periodo Graeco-Romana, num.83.*

XXII. Si quis autem qua jure, qua injuria, Africanum licet invitum ad ſe trahere conatus, mendum irrepſiſſe clamet, textumque caſtigandum, expunctoque anno 2. Olympiadis 202. legendum ſuo periculo ſtatuat anno 4. Olympiadis 201., vel alia quavis ratione, edicatque ut critici quidam ſolent, Dictatoris quodammodo auctoritate, nequis ſecundum legat, aut propugnet; nae is vehementer erraverit. Africanus, ut quivis facile intelligit ejus verba diligenter attendes, vel in Evangelica Euſebii Demonſtratione, vel in Georgii Syncelli Chronographia, agens de LXX. Danielis hebdomadis, bene ſubductis rationibus, ab Olympiadis 83. anno 4. ad Olympiadis 202. annum 2. & Tiberii 16. colligit ſolares annos 475. quot reipſa fluunt, ſi uterque annus primus atque poſtremus in ſummam conferantur: quae labefactantur omnia atque corruunt, ſi aliter rationes inire oporteat. Ceteraa Pagio in medium allata non tanti ponderis ſunt, ut Africanus, velit nolit, Chriſti mortem conferre cogatur, in annum vulgarem 29.

XXIII. Quoniam vero clariſſimi viri Dionyſii Petavii S.J. jure magna eſt apud omnes exiſtimatio, praeſertim in re Chronologica doctrinave temporum, non abs re erit Africani mentem, ejus verbis, L.8. Auctarii, c.2. ob oculos ponere. *Mea ut in ancipiti ac perplexa quaeſtione, conjectura eſt, Chriſtum ex Africani opinione, Incarnatum eſſe anno periodi Julianae 4712. biennio ante communem eram, mundi 5501. Baptizatum porro duobus Geminis Coſs.an. Tiberii XV. mundi 5530. exeunte, quem 5531. Aprili circiter excepit: Paſſum denique anno mundi deſinente 5531. ſequente 5532. Paſchate, vel Aprili Anni Chriſti communis XXX. Tiberii XVI. & Olympiadis 202. anno ſecundo nondum ab aeſtivis menſibus inchoato, ſed κατὰ πρόληψιν a Januario, aut alio quopiam initio popularis anni, quo uſus eſt Africanus.* Haec vir doctiſſimus, tametſi ab Africano in Evangelica Chronologia diffidet, pugnans pro an. communi 31. Sed Pagius nervum omnem intendit ut veterum Chronographorum principem in ſuas trahat partes.

XXIV. Nulla ſupereſſet de anno Chriſti poſtremo diſceptatio, ſi conſtaret quibus Conſulibus actus in Crucem fuerit. Veteres complures *utrumque Geminum* eo anno Conſulem tradunt; verum S. Epiphanius *Vinicium* atque *Longinum*, de Haereſi Alogorum agens. *Quocirca poſt eos Conſules &c. Quibus ſucceſſere Coſs. Vinicius ac Longinus Caſſius, ſub quibus Salvator paſſus eſt A. D. XIII. Cal. April.* Quamquam magna eſt in Epiphanianis faſtis depravatio id tamen conceptis verbis profitetur, unde unde eam hauſerit ſententiam. Utrumque par Conſulum locum ſibi vendicare poteſt in anno Chriſtiano 30. Judaeorum, Syrorumve more inchoato ab autumno ſuperioris anni 29. cum ab autumno ad Januarium, annive Juliani initium, Geminorum nomina inſcriberentur, Calendis vero Januariis anni 30. & conſequutis menſibus, Longini, atque Vinicii. Potuerunt igitur omnes ad eundem annum pertinere. Ex Conſulum ergo nominibus ab antiquioribus monumentis petitis, Paſſus eſt Dei Filius anno vulgari 30. quo Calendis Januar. ut communi omnium ſuffragio conſtat, Conſules poſt *Geminos* proceſſerunt *L. Caſſius Longinus*, & *M. Vinicius*. Epiphanius, teſte Petavio, Chriſti mortem anno ſequenti 31. conſignat; ſed antecedenti autumno, initio anni popularis Orientalium, Coſs. dicebantur Longinus, & Vinicius, quod fortaſſe Epiphanio fucum fecit: ſed habenda quoque eſt ratio *Geminorum*.

XXV. Huc accedit, quod cauſſae noſtrae magno eſt adjumento, Coeleſtes motus cum ſcriptorum veterum monumentis conſpirare pro anno hoc 30. Nemo enim inficiatur hoc anno quem propugnamus, Lunam quartamdecimam primi menſis incidere in feriam quintam, & quintamdecimam, ſive Azymorum feſtum diem, in feriam ſextam. Eruit id ex Tabulis Aſtronomicis, & ex Cyclo Hebraico vir clariſſimus complures annos in hiſce litteris ſumma cum laude verſatus. Annum hunc xxx. Chriſti emortualem eſſe vehementer probat vir doctiſſimus. Nos quidem minime praeterit, ſpectatis Coeleſtium corporum motibus, Chriſti mortem coniici quoque poſſe in vulg. annum 33. ſed Redemtorem noſtrum eo anno Paſſum, 30. vel 31. Baptiſmo perfuſum; anno autem aetatis ejus 33. vel 34. Myſterium hoc conſignandum, mortemque anno aetatis 36. vel 37. omnibus priorum ſeculorum ſcriptoribus adverſatur, qui propius aberant a Chriſti & Apoſtolorum temporibus. De anno Dionyſiano 31. ne verbum quidem facimus, tametſi ſuos habet propugnatores, quod neque cum antiquioribus monumentis, neque cum Aſtronomica ratione componi poſſit. Annos ceteros, ſi qui ſuperſunt de quibus addubitare fas ſit, iiſdem fere de cauſis reiicimus.

CA-

CAPUT V.

Confirmantur & illuſtrantur quae Capite ſuperiore tradita ſunt.

I. Natalis Alexander Vir doctiſſimus in Hiſt. Eccleſ. Sect.I. conſignat Baptiſmum J. Chriſti An. vulgaris aerae XXX. quo Dei filius (quadriennio ante hanc aeram Bethlehemi ortus) agebat annum aetatis XXXIV. vix inchoatum: Mortem autem anno ejuſdem aerae XXXIII. aetatis Chriſti XXXVII. Idem cenſet Tillemontius aliique eruditi Viri; idem fere Bernardus Lamius, qui tamen (cum triennio tantum ante vulgarem aeram natum Salvatorem ſtatuiſſet) baptiſmo perfuſum credidit An. aer. vulg. XXXI. aetatis XXXIII. expleto; & in Crucem actum An. aer. XXXIII. aetatis XXXVI. Natalem caſtigat acriuſque vellicat Emanuel Schelſtratius Tom. I. *Antiquit. Eccleſ.* Diſſert. I. cap. 3. quod novam invehat Vitae Chriſti Chronologiam, Patribus, atque adeo Evangelio contrariam: quamquam autem fatetur ultro Natalis nullis veterum monumentis ſuam niti ſententiam; non tamen dat adverſario, ſe quicquam propugnare quod ad Evangelicae Hiſtoriae rationem exigi minime poſſit. Nos quidem annum aerae communis XXXIII. prorſus abjicimus, nec recentem illam opinionem probare ullo modo poſſumus: ceterum novimus agi hic de rebus, de quibus fas eſt diſceptare *ſalva fide qua Chriſtiani ſumus*, ac non tam facile cenſuram tantis Viris eſſe inurendam.

II. Sed in Schelſtratio cum multa ſunt quae a veritate aliena videntur, tum vero illud maxime, *τὸ incipiens* Lucae 3. ἀρχόμενος revocandum eſſe ad aetatem & ad annum trigeſimum. Ac notum cuivis, voces *quaſi* vel *circiter* recte vindicare ſibi locum ubi agatur de anno, vel non tam exiguo temporis ſpatio, putide autem & inepte adhiberi ſi ſermo ſit de breviſſimo temporis intervallo, & de anni alicujus exordio, quod diſpeſci nequeat in partes. Nec ſibi admodum conſtat Vir clariſſimus, dum pati ait verba Evangeliſtae, ut illum interpretemur vel de anno trigeſimo inchoato, vel de trigeſimo etiam primo ineunte; quandoquidem *triginta*, & *incipiens* id minime praeferunt: *Quibus verbis ſignificat S. Lucas baptizatum fuiſſe Chriſtum anno aetatis trigeſimo inchoato, vel ut nonnulli voluerunt, completo, ſive initio anni trigeſimi primi, ita habente communi Sanctorum Patrum traditione, quae huic fundamento innititur, quod non ſoleant inter annos com-*

computari niſi anni jam peracti. Sic non dicitur puer unius anni qui habet tantum menſes octo, ſed qui vixit menſibus duodecim, quibus peractis incipit habere annum unum. Lepide quidem! ſane puer duodecimo tandem menſe *incipit habere annum unum*, videlicet incipit complere annum unum, neque annum primum tunc inchoat ſed abſolvit: itaque tertiodecimo menſe non autem viceſimoquinto auſpicatur alterum, atque trigeſimum incipit non tredecim menſibus poſt exactum annum viceſimum nonum, ſed primo, poſt hunc exactum, menſe ac die, jam vir.

III. Ne illud quidem Schelſtratio dabimus *τὸ incipiens* in Graeco fonte poni ante annos triginta: utut enim ita habeat vetuſtiſſimus Vaticanus Codex, aliud praeferunt ceteri, quemadmodum videmus in Bibliis Antuerpienſibus Ariae Montani & Londinenſibus Briani Waltoni, ubi ita Graecus Evangelii textus eſt exaratus *καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ιησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος*. Verum etiamſi praecederet *ἀρχόμενος ὡσεὶ κ. τ. λ.* eodem res caderet, & ad Evangelicae Doctrinae exordium foret revocandum. Quantivis pretii ac vetuſtatis ſit Vaticanus Codex, non auſus fuiſſet Vir Doctiſſimus ſponſionem facere, tertio vel quarto Eccleſiae ſeculo fuiſſe conſcriptum. Porro quid vetat ſuſpicari verborum Ordinem immutatum eſſe ab exſcriptores, quod putaverit illa aetatem Chriſti, non Doctrinam ſpectare, ut aliqui in animum induxerunt credere; vel quod exiſtimaverit nihil propterea corrumpi quod ad rem ipſam pertineat: nam in verbis revera eadem ineſſet vis. Nec quicquam illum juvat Clemens Alexandrinus in calce Libr. 1. Stromatum, verba Evangelica ita proferens: *veniens ad baptiſmum quaſi triginta annorum ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λ'*. Poſt ſublatum enim *τὸ incipiens* ſuffectumque *τὸ veniens* nulla ſupereſt cauſa, cur tanta animorum contentione nitantur nonnulli extundere ex Evangelio annum aetatis trigeſimum ineuntem baptiſmi tempore. Quod de Clemente monuimus dictum puta de Irenaeo, Euſebio Caeſareenſi, & ceteris ex quibus nihil elicias quod nobis obſit. Vereor ne mendum irrepſerit in laudatum Clementis locum; ſiquidem Lucae verba profert, & *ἐρχόμενος* habet pro *ἀρχόμενος* facillima unius litterulae mutatione; ubi enim eſt *ε* ſcribere *α* oportebat.

IV. Magno quoque cauſae ſuae adjumento eſſe arbitratur Neocaeſareenſem canonem vetantem, nequis antequam annos natus triginta ſit, Sacerdotio initietur, quod J. Chriſtus tunc tantum ad baptiſmum & ad docendum ſe contulerit: cum Neocaeſareenſibus Patribus ſatis ſit Chri-
ſtum

ſtum non ante annum trigeſimum baptizatum fuiſſe. Edicunt tantum ne quem Sacerdotio augere fas ſit ante annum trigeſimum; neque nefas exiſtimant clericum triginta duos vel quadraginta etiam annos natum Sacerdotio inaugurare. Eadem eſt mens Natalis Alexandri, erui hinc potius Chriſtum non ante annum trigeſimum adjiſſe ad Joannem. *Presbyter ante trigeſimum aetatis ſuae annum nullatenus ordinetur.... nam Dominus noſter trigeſimo aetatis ſuae anno baptizatus eſt, & ſic coepit docere*: haec Neocaeſareenſes. Non utique idcirco abjiciunt τὸ *quaſi*, *fere*, *circiter* ὡσεὶ Evangelii: tempus praeſtituunt quo primum liceat presbyterum conſecrare, ac trigeſimum annum debere illum attingere ſtatuunt, quia Capite III. Lucae trigeſimi ſit mentio, non alterius: tametſi non fruſtra adjiciat Evangeliſtes quod interpretibus Crucem figit, in variaſque cogit abire ſententias. Demum commendamus veterem Eccleſiae diſciplinam, quae nobis minime adverſatur. Idem de ceteris Patribus judicium eſto, de Auguſtino maxime ob voculam *fere* quam adtexuit: *Annorum quidem, fere XXX. baptizatum eſſe retinemus auctoritate Evangelica.*

V. Particula ὡσεὶ ſcrupulum pleriſque injecit cum tamen ſit eadem atque latine *circiter*, *plus minus*, ac dubitandi locum relinquit, ſed ὡς quidpiam ratum certumque demonſtrat δόξαν ὡς μονογενοῦς *gloriam quaſi unigeniti* Joan. 1. Verum Petrus Poſſinus, Epiſtola 2. ad Papebrochium, initio Propylaei excuſa, vim particulae ὡσεὶ penitius ſcrutatus, minuere potius rem quam augere illam contendit, ſed injuria, Linguae flammeae feſto Pentecoſtes die ſpectatæ, quamquam non craſſo hoc noſtro impuroque igne conſtabant, non dubito quin illi longe antecellerent: nihilominus adeſt particula ὡσεὶ Act. Apoſt. c. 2. v. 3. *linguae tamquam ignis* ſplendentis videlicet, pernicique motu acti γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς. Plura afferri poſſunt quibus Poſſini animadverſio rejiciatur. Sane Daniel Papebrochius Poſſino minime accedit in Epiſtola Conſultat. ad eumdem; ac praeterea in rem noſtram haec adnotat: *Graecae linguae ſcientiſſimum interrogo ſatiſne Graeca constructio ſit* ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα *incipiens annos triginta pro* ἐτῶς τριακοστῶ *annum trigeſimum: mihi nec Latine ſic loqui placeret, nedum dicere incipiens annorum triginta. Quo igitur illud* ἀρχόμενος *incipiens? Fallor ſi non ipſe ſe explicat Evangeliſta, primo Actorum, ubi ait de Jeſu, intravit & exivit inter nos ..... Jeſus incipiens* (ἀρξάμενος) *a baptiſmate Joannis &c.* & rurſum capite 10. *&c.*

VI. Quod

VI. Quod ad Baptiſmum Chriſti pertinet in Januarium collatum ex veteri Eccleſiae inſtituto, ſuſpicabitur quiſpiam fortaſſe repugnare anni tempeſtatem minus ob frigus tunc ſaeviens idoneam. At non ex noſtris moribus vetuſtiores dijudicandi. Flavius Joſephus Judaeus adoleſcens, ſextodecimo aetatis anno, noctu etiam crebroque aqua frigida corpus abluebat praeeunte Bano, qui in eremo aſperius vivendi genus conſectabatur, ut ſenſuum illecebris, & corporis oblectamentis bellum indiceret; quemadmodum de ſe ipſe teſtatur initio vitae ſuae, ſive in calce Librorum de Antiquitatibus: illinc enim avulſum videtur quicquid nunc legimus in Joſephi Vita: *Cum audiſſem quemdam, Banum nomine, in deſerto agere, amictum ſibi ex arboribus parantem, alimentiſque ſponte provenientibus veſcentem, crebriſque noctu & interdiu lavacris frigidis utentem ad corporis caſtitatem, coepi ejus inſtitutum imitari:* Ψυχρῷ δὲ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λυόμενος πρὸς ἁγνείαν. (Ecquis heic non intuetur inſtitutum vivendi Joannis moribus conſimilem, quo praeclara illa Evangelicae Hiſtoriae lacinia ab impiorum ſannis atque dicteriis vindicetur?) Itaque ſolemnem Baptiſmi diem rite agit Eccleſia a vetuſtiſſimis uſque temporibus 6. Januarii, neque aptius tempus conſtitui poteſt in Sacra Chronotaxi. Joannes prodromus atque praeco a Deo vocatur ad munus ſanctiſſimum initio Autumni An. Chr. XXVII. Tiberii Imp. XV. ineunte, more Syrorum: & quamquam poſt bimeſtre ſpatium a Joanne Chriſtus aqua perfundi in baptiſmo potuiſſet, cadente Novembri, ex Epiphanio, ſatius eſt aliquantiſper producere hujuſmodi intervallum, tertio adjecto menſe, & conferre baptiſmum Servatoris in Januarium Ann. Chr. XXVIII.

VII. Ac nequis reponat cum Natali Alexandro *ſolidum interjiciendum annum inter initium Praedicationis Joannis, & Baptiſmum Chriſti*, lubet in medium proferre teſtimonium Poſſini, Epiſt. 2. plurimi a nobis aeſtimatum, quod conſtitutae rationi temporum vir doctiſſimus adverſetur: *En quae interponat S. Lucas inter initium Praedicationis Baptiſtae & Baptiſmum Chriſti: egreſſum multorum e Pagis & Urbibus Judaeae ad novitatem iſtam ſpectandam Joannis praedicantis; eoque audito ſuaſum & miniſtratum a venerabili Oratore baptiſmum uſurpantium; cui ſe ad extremum turbae ipſe Jeſus admiſcuit. Quid per omnium ex aequo bonoque de rebus aeſtimantium fidem! quid inquam hic eſt, cui non recte, more humano, conſummando, vel trimeſtre ſolummodo ſpatium judicetur abunde ſufficere? Ego tamen alterum tantum ſupererogo.* Non ſubleſtae fidei teſtem

teſtem produximus, ſed eruditum virum, qui cauſae noſtrae minime faveat. Solemnitas Azymorum An. Chr. XXVIII. celebrata eſt die 30. Martii, ac trimeſtre fere ſpatium ſatis eſt jejunio quadraginta dierum poſt baptiſmum, & aliis quae geſta ſunt in Galilaea uſque ad Paſcha. Et ſane Joannes Evangeliſta capite 2. uſque ad comma 12. diſſerit de aqua in vinum Chriſti poteſtate migrante; periocha autem 13. continuo memorat Paſcha impendens: *Et prope erat Paſcha Judaeorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam*: atque hoc illud eſt Paſcha, quo peracto quadraginta ſex anni fluxerant Herodianae inſtaurationis. verſ. 20.

VIII. Si Chriſti baptiſmus conſeratur in annum aerae vulgaris XXVII. & Novembrem menſem in finem vergentem cum S.Epiphanio, contrahitur prius intervallum inter Joannis a Deo miſſi ad inveſtiganda perditorum hominum ſcelera, primordia, & Chriſti baptiſmum; alterum autem ab ejus baptiſmo ad primum Paſcha producitur: contra, ſi Chriſti baptiſmus ſerius figatur, prius illud ſpatium protrahitur, alterum quod reliquum eſt non ſatis erit, ut omnia quae geſta ſunt complectatur. Recte igitur baptiſmus ineunte Januario conſtituitur, ut trimeſtre ſpatium praecedat, ac alterum tantum fere conſequatur. Id vetus Eccleſiae quoquoverſum fuſae inſtitutum eſt ſacra quotannis acta die feſto Epiphaniae, quo Servatoris maxime baptiſmus celebratur, confirmant.

IX. Meminit ſolemnis hujus Eccleſiae conventus Ammianus Marcellinus Ethnicus Scriptor Seculi IV. dum memoriae prodidit L.21. Julianum Auguſtum, quo facilius Eccleſiae imponeret, rebuſque ſuis ſub larva Chriſtianae religionis deliteſcens, veteratoria arte conſuleret, ſacris noſtris, quibus per ſummum ſcelus impie abutebatur, adſtitiſſe ſolemni illo die, menſe Januario; *Utque omnes, nullo impediente, ad ſui favorem illiceret, adhaerere cultui Chriſtiano fingebat, a quo jampridem occulte deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinae, auguriiſque intentus, & ceteris quae Deorum ſemper fecere cultores: Et ut haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani, Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam, ſolemniter Numine orato, diſceſſit*. Adnotat cl. Pagius ad An. Chr. 361. quo id contigit, narrare Zonaram fuiſſe diem illum *Natalem Domini* cum Orientales tunc Chriſtum in lucem editum & Baptiſmo perfuſum cenſeant. Pagius idem ad An. Chr. 67. animadvertit quoque cum Zaccagnio in Praefat. tom. 1. ad Collectanea Monum. Vet. Eccleſiae Graecae ac Latinae, Cappadoces Nati-

tivitatem J. Chriſti celebraſſe cum Occidentalibus die 25. Decembris, quemadmodum intelligitur ex S. Gregorio Nyſſeno *de laudibus S. Stephani*, & *Oratione funebri in S. Baſilium*; & S. Gregorium Nazianzenum Orat. 39. in Epiphaniam diſerte tradere feſtum diem Nativitatis & adorationis Magorum diverſum fuiſſe ab Epiphania; hoc enim Chriſti baptiſmus Januario ineunte recolebatur. Alii obtinebant ritus in Antiocheni Patriarchatus Eccleſiis, ubi AEgyptiorum more eodem die recolebantur Nativitatis & Magorum myſteria ante J. Chryſoſtomi aetatem.

X. Ut aliquid lucis ac roboris accedat iis, quae diximus Capite ſuperiore, lubet nonnulla adjicere de Joanne ejuſque baptiſmo. Joannis Baptiſtae ſanctitatem non tantum Evangeliſtae omnes commendant collatumque ab eo baptiſmum memorant, verum Fl. Joſephus quoque L. 18. ἀρχαιολογ. c. 17. Cum autem Scriptoris hujus Judaei diligentiſſimi & vetuſtiſſimi (quippe qui decem vel duodecim annis vix elapſis a nece Joannis ortus fuerit) & ſexcentis Rabbinis praeferendi, teſtimonium Chriſtianam Religionem Evangelicamque Hiſtoriam validiſſime confirmet, quod Joannes prodromus Chriſtum non purum putum hominem exiſtimavit, & ejus munera, ſacramenta, ac legem palam praemonſtravit, juvat cedro digniſſimum Joſephi locum proferre. *Erant autem quidam ex Judaeis qui exiſtimarent Dei ira periiſſe exercitum Herodis, qui juſtas ob interfectum Joannem cognomento Baptiſtam poenas dabat. Hunc enim Herodes necari juſſit cum eſſet vir bonus* (ἀγαθὸν ἄνδρα) *Judaeoſque ad virtutis ſtudium excitaret, praecipiens ut juſte quidem inter ſe, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum accederent. Deo enim ita acceptum iri lavacrum ajebat, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, ſed ad corporis munditiem, utpote mentibus jam ante per juſtitiam purificatis*: Nemo ſanae mentis ſubleſtae fidei damnabit illuſtrem locum, quem praeferunt veteres manu exarati Codices, Origenes L. 1. contra Celſum, Euſebius H. E. L. 1. c. 11. & Hieronymus de Script. Eccleſiaſt. & Joſepho aſſerunt ii etiam qui celeberrimum de Jeſu Chriſto teſtimonium Flavianum adſcitum, adſutumque judicant, Tanaquillus Faber Epiſt. ad Joannem Chabrolium (extat in praeclara Havercampi editione, tom. 2. in adjectis pag. 267.) & J. Clericus Hiſt. duor. prim. Eccleſiae ſeculorum. Atque haec adnotaſſe operae pretium fuerit ob pſeudocriticorum quorumdam obſcuram diligentiam: eo enim ventum eſt, ut omnia tuta timeamus, quia cuncta pervertere nonnulli moliuntur.

XI. Joan-

XI. Joannes Baptiſta vir ſanctiſſimus homo reapſe fuit atque prophetes, ſed ob integerrimos mores, vitae admirabilis inſtitutum, munera & dignitatem, Angelis par, propheta major. Quis igitur Jeſus, cujus ne calceos quidem vir tantus religione perculſus contingere audebat: quem natu licet minorem, antea extitiſſe palam clamabat, quem non unius populi vatem, ut Moſes fuerat, ſed orbis totius reparatorem, victimam, Deique agnum mundi ſcelus tollentem, Spiritus Sancti largitorem, & Filium Dei praedicabat, idque non clanculum, verum pro concione frequenti Judaeorum multitudine arrectis auribus ab ejus ore pendente? Equidem vides Hebraeum Scriptorem Joannem maximopere celebrando male mereri de priſcis haereticis & de Socinianis veterem crambem recoquentibus. Nollent profecto Joſepho haec excidiſſent, dolent Joannem adeo magnifice de Jeſu Chriſto ſenſiſſe, ac fuiſſe loquutum. Neuter tamen falſam gratiam a Chriſti hoſtibus inire ſtuduit. Joannes vir adeo probus non Judaeis fucum facere, ſed populum ad verae virtutis praeclara ſtudia excitare ſuarum partium eſſe duxit, auctore Joſepho: Chriſtus autem, tanto viro divinitus miſſo teſte locupletiſſimo, non vates aliquis ceterorum ſimilis, ſed agnus fuit atque holocauſtum, reparator orbis & Sacerdos, aeternuſque Dei Filius.

XII. Joſephus igitur minime Chriſtianus fatebitur Joannem Baptiſtam vim nullam criminum expiandorum lavacro ſuo tribuiſſe, idemque teſtabuntur Evangeliſtae, *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto* Marci c. 1. v. 8. qui autem Evangelia venerantur & Chriſto nomen dederunt, nullum ſtatuent diſcrimen inter Joannis Chriſtique baptiſmum? Haeccine ſentire ullos baptiſmo Chriſti, maximo Dei beneficio perfuſos? Neque ulla eſt remiſſio peccatorum ſine gratia, neque gratia ſine caritate, neque caritas ſine Spiritus Sancti in humana pectora illapſu. Ea dona Divinus auctor appulſu & inhabitatione ſua effundit in corda noſtra per Jeſum baptizantem Spiritu Sancto & coeleſti igne, non per aquam Joannis ejuſque lavacrum. Sane quotquot unum eumdemque putant utrumque baptiſmum, Chriſtum ejuſque Sacramentorum efficacitatem non plane noſſe, immo ignorare, teſtis eſt omni exceptione major Joannes, qui futuros errores praeſentiens vix mentem ſuam clarius aperire potuit Joan. c. 1. verſ. 26. *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*. Neque Sacramentum prior ille baptiſmus dicendus eſt, ſi preſſe ac religioſe loqui velimus & ad Theologicae ſapientiae praeſcriptum, cum non ritus manens ſtabiliſve fuerit, ſed brevi temporis intervallo e medio ſublatus

 prae-

præſtantiori viam ſtraverit, ut S. Auguſtinus pridem adnotavit L.5. de Baptiſmo, c.9. *Accepit Joannes baptiſmum non diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe praecurſorem oportebat*. Ac praeclare Tertullianus L. de Baptiſmo c. 10. *Agebatur itaque baptiſmus poenitentiae, quaſi candidatus ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturae*.

XIII. Eadem eſt S. Thomae ſententia 3. p. q. 36. art.1. ad primum & art.3. acute, ſolide, atque dilucide ut ſolet, haec ad vivum reſecans. Quod ſi quis contendat diu manſiſſe id genus caeremonias varioſque in Synagoga baptiſmos, contentionis funem non trahimus. Fatemur obtinuiſſe eum morem; atque etiam proſelytos ſacris Judaicis initiatos fuiſſe accedente perfuſione. Enimvero Dei Filius ea quoque de cauſa, ſanctiore tamen atque multo efficaciore ritu, religioni ſuae Evangelicae nomen daturos baptiſmo luſtrari voluit: ac propterea Nicodemum acrius perſtrinxit novam ex aqua nativitatem miratum Joan. c. 3. v. 10. *Tu es magiſter in Iſrael & haec ignoras*? Adeo autem notum erat Divina caſte ſancteque non vero illotis manibus contrectanda, & externis quoque ritibus id palam ſignificandum, ut aqua Ethnici quoque luſtrarentur, quod de Etruſcis noſtris monet vir amiciſſimus idemque eruditiſſimus Franciſcus Gorius quamquam, ut pleraque, haec ab Hebraeorum ritibus ceteri fortaſſe mutuabantur. Fieri etiam potuit ut caeremoniam adeo religioni, natura duce conſentaneam, a ſuperſtitione vindicatam, Jeſus Chriſtus melioribus auſpiciis conſecraverit: quemadmodum in aliis uſuveniſſe facile quis conjiciat. Hac ratione vocetur, ſi quidem lubet, Sacramentum, Joannis ritus, modo Sacramentum dicatur veteris Legis, infirmum, atque egenum elementum.

XIV. Tota aberrare via eos, qui Chriſti baptiſmum Joannis ritui minime antecellere dictitant, ex Actis quoque Apoſtolicis c.19. novimus. Infinitis enim paraſangis diſtant lavacrum Spiritus Sancti ope detergens ſordes peccatorum, & aqua corporis maculas eluens, non tantum non accedente gratia, ſed ne notitia quidem Spiritus Sancti: *Sed neque ſi ſpiritus Sanctus eſt audivimus*, quod candide fatebantur diſcipuli quidam, Joannis aqua primum perfuſi, poſtea Chriſti baptiſmo expiati, cum Paulus Epheſum divertiſſet. Atque hinc conficitur, reſipiſcentiam quidem diſcipulorum illorum, ceterorumque Judaeorum plurimi aeſtimandam; ſed aquam ejuſmodi caſſam inanemque fuiſſe, quod ſpectat ad crimina delenda; adhibitam vero novo arcanoque ritu, quod Pau-

Paulus praeſtitit. *Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptiſmo poenitentiae populum dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.* Animadverterunt id ſapientiſſimi Patres Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & Hilarius, praeter Tertullianum, praeſtanteſque illi Orientalis Eccleſiae Doctores Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Jeroſolymitanus. Denique Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joan. ita loquitur ut adverſarii ne hiſcere quidem poſſint. Praeſul longe doctiſſimus eo cenſet Evangeliſtas diſcrimen utriuſque baptiſmatis tam aperte litterarum monumentis mandaſſe, quod futuros praenoſcerent qui illud ſublatum vellent; quemadmodum Seculo XIV. contigiſſe, tot ſimul veteris religionis dogmatis rejectis, dolemus.

XV. Joſephus Joannis ſanctitatem merito celebrat; at non idem ſentit de Herodiade ſceleſta femina (L. 18. Antiquit. cap. 7. quae Antipae inceſtis nuptiis, & conſiliis flagitioſiſſimis exitio fuit : *Herodias ſoror eorum nupſit Herodi* (qui Philippus vocatur Marci c. 6.) *Herodis Magni filio, quem ſuſtulit ex Mariamne Simonis Pontificis filia, illiſque genita eſt Salome, cujus poſt nativitatem Herodias, ut quae in animum induxerat leges patrias violare, Herodi* (Antipae) *nupſit, viri ſui, a quo vivo diſceſſit, ex eodem patre fratri.* Ejuſdem Libri capite nono narrat quomodo Antipas, ob inſanam uxoris regnandi cupiditatem, Tetrarchia Galilaeae exciderit, adtributa Agrippae regno a C. Caligula Imp. & in exilium pulſus fuerit in Galliam, vel in Hiſpaniam, ut habetur L. 2. de Bello cap. 8. ubi addit ſupremum illic diem obiiſſe, niſi forte in Galliam primum, mox alio abire coactus fuerit, & a patria longe exulare. Et Herodiadis quidem ratio habebatur a Caeſare, quod Soror eſſet Regis Agrippae : Verum eam quoque libertate opibuſque ſpoliatam ſolum vertere juſſit Caeſar, cum audax nimium femina acerbius ferret exilium conjugis, quem Regem inaugurandum ſperaverat, eaque de cauſa reluctantem licet impulerat ut tranſmiſſo mari Caeſarem adiret: *Ademtam illi Tetrarchiam Agrippae Regno adjecit, itidemque pecuniam Agrippae donavit, & Herodem perpetuo exilio damnavit, Lugduno Galliae oppido ei ad habitandum aſſignato ..... At ille ei* (Caeſar Herodiadi) *quod tam elato eſſet animo vehementer iratus, ipſam quoque cum Herode in exilium abegit, ejuſque facultates Agrippae largitus eſt. Hanc ſane Herodiadi, quod fratri adeo inviderit, et Herodi quod muliebris ora-*

orationis vanitati fuerit obnoxius, *poenam intulit Deus*. Paulò ante capite 7. adverſae, qua in bello Arabico uſus eſt Antipas fortunae cauſam repetit a ſcelere perpetrato in Joannis Baptiſtae nece. Sed inauſpicati inceſtique connubii, conjugumque illorum non pauca extitere flagitia. Illud vero minime praetereundum, quod Antipas Filii Dei Majeſtatem humana quavis longe majorem indignis modis contemſerit: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba & remiſit ad Pilatum*. Luc. cap. 23. v. 11. Nae hic vere amens haud ſciebat fore ut exueretur ipſe Tetrarchiae inſignibus, dum regiis exornari moliretur!

XVI. Joſephus qui Joannem jure laudibus extulit, Pilatum quoque ſugillat; maxime vero Philo Hebraeus & ipſe, Hebraeorumque diſertiſſimus. Prior L. 8. *ἀρχαιολ.* c. 3. 4. & 5. ac L. 2. *ἁλωσ.* c. 8. ubi eum Judaeae Procuratorem vocat, caedium atque turbarum inſimulat, coactumque demum Romam petere narrat rationem redditurum patratorum facinorum. At Philo Joſepho antiquior, *de Legatione ad Cajum*, atque adeo Rex Agrippa qui Pilati ſcelera ſuis ſpectaverat oculis, in Epiſtola ad C. Caligulam Imp. ſcripta, & a Philone in eo Libro litterarum monumentis commendata, haec habet: *Pilatus erat Procurator* (ἐπίτροπος τῆς Ιυδαίας ..... *Id vero eum magis exaſperavit veritum ne ſi mitteretur legatio, cetera quoque detegeret ejus crimina, venditas ſententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras caedes indemnatorum, crudelitatem ſaeviſſimam*: Nil aptius ad confirmandam Hiſtoriam Evangelicam. Etenim Joannis cap. 18. v. 38. haec Pilati de Jeſu accuſato verba memorantur, *ego nullam invenio in eo cauſam*: & tamen capite 19. v. 1. legimus, *tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit*. Rurſum eodem capite 19. v. 12. cum in Filii Dei vita ſanctiſſime acta nullum deprehenderet naevum, atque anceps haereret Procurator, ait Evangeliſtes, *& exinde quaerebat Pilatus dimittere eum*: ſed ne invidia apud Caeſarem flagraret, audito Caeſaris nomine quod jactabant Judaei, quamquam nutans, animumque huc illuc dividens, *ſedit pro tribunali* v. 13. & *tradidit illum ut crucifigeretur*, v. 16. *vendita* profecto *ſententia*, ut Philonis verba uſurpemus in hac Chriſti *indemnati caede*.

XVII. En judicem Dei Filium indicta cauſa damnantem ut falſam a Tiberio gratiam iniret. Sed quamquam hoc ſublato nihil capiti ſuo metuere debuiſſe viſus ſit, C. Caligula Imperii habenas moderante adeo calamitatibus eſt conflictatus, ut manus ſibi tandem furiis actus intulerit,

rit, quod a Graecis Scriptoribus accepit Euſebius H. E. L. 2. c. 7. Tradit enim Cajo imperante *in tantas incidiſſe calamitates,ut mortem ſibi conſciſcere, ſuorumque ipſe ſcelerum vindex eſſe coactus fuerit: Divina ſcilicet juſtitia in illum, ut par erat, ſaeviente. Idque a Graecis ſcriptoribus proditum eſt, qui Olympiadum ſeriem & quae quibuſque temporibus geſta ſunt conſcripſere.* Atque hoc quidem pacto poenas dedit etiam Herodes Aſcalonites Antipatri filius poſtremis illis atque nefaſtis vitae diebus ob lanienam Bethlehemiticam Servatoremque ad necem quaeſitum; Archelaus gnatus Viennae in Gallia exulare coactus, cui nefariis artibus conſultum voluit improbus parens; Antipas cum Herodiade inceſti tori & flagitiorum ſocia male de Joanne Baptiſta, & Jeſu Chriſto meriti; atque Pontius Pilatus, atro omnes carbone notandi. Enimvero ut vatum elegantiſſimus cecinit:

raro antecedentem ſceleſtum
deſeruit pede poena claudo.

Non poſſum tamen quin adjiciam praeclarum Fl. Joſephi Judaei hominis locum de Herodis Aſcalonitae domo Lib. 18. Antiqu. cap. 7. *Volo itaque fuſius aliquanto & uberius agere de Herode, deque illius ſatu ortis diſſeminatiſque: & quia magni refert ad hiſtoriam illos percenſere, argumentoque eſt certiſſimo Numen eſſe aliquod, quod nihil proſit numeroſa ſoboles, neque nulla potentia quae in hominibus dominatur, abſque pietate erga Deum: ſiquidem intra centum annos contigerit ut Herodis poſteri, qui ſane permulti erant, fere omnes interierint. Accedit quod humano generi documento ſit illorum perſpectam habere infelicitatem, &c.* Ceterum operae pretium fuerit adnotaſſe, quod Chriſtiani ab Evangeliſtis accepimus de J. Chriſti morte, dum Pilatus Judaeae Procuratorem ageret, ac Tiberius Imperator rerum potiretur, auctoritate quoque Taciti religionis noſtrae hoſtis infenſiſſimi confirmari Lib. 15. Annal. *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.*

XVIII. Et quando de Pilato verba facimus commodum huc cadit de Actis Pilati ad Tiberium miſſis paucis diſſerere. Paulus Oroſius Anno Chr. 400. circ. haec litteris conſignavit, L. 7. Hiſtor. cap. 4. de Pilato. *Ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de Paſſione atque Reſurrectione Chriſti conſequentibus virtutibus, quae vel per ipſum palam factae fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo quod certatim, creſcente plurimum fide,*

Deus

Deus crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni favoris retulit ad Senatum ut Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus eur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſavit, edictoque conſtituit exterminandos eſſe Urbe Chriſtianos, praecipue cum & Sejanus Praefectus Tiberii ſuſcipiendae religioni obſtinatiſſime contradiceret. Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt. Infra vero: *Plurimos Senatorum proſcripſit & ad mortem cogit. Viginti ſibi Patritios viros conſilii cauſa elegerat: horum vix duos incolumes reliquit, ceteros diverſis cauſis necavit; Sejanum Praefectum ſuum res novas molientem interfecit:* Hactenus Oroſius. Verum Poſſinus Epiſtola 3. ad Papebrochium id ad fabulas amandat, quod ferri utcumque aequo animo poſſet, ni illa accederent nulla unquam ratione probanda: *Erant primis Eccleſiae ſeculis Chriſtiani qui fingere ac mentiri pro Religione pium crederent. Hi multos libros magnis veterum nominibus inſignes a ſe ſuppoſitos ſparſerunt, ut magna hodieque nec injuſta querela multorum eſt. Talium aliquis forte ſuperſtruxit memoriae vulgatae interitus tragici Sejani, ſaevitiaeque in Senatores Tiberii figmentum iſtud a facile credulis cupide arreptum, cujus qualemcumque uſum in rem ſuam praeſentem Tertullianus non neglexerit.* Ita Poſſinus, cujus verba protuli ne calumniam ipſi impingere videar.

XIX. Doleo haec docto viro excidiſſe, & quod Ethnici plures vetuſtiores, Chriſtiani autem pauci conſecutis temporibus exiſtimarunt, ceteris obluctantibus, fas eſſe quandoque pro vita ex. cauſ. tuenda, mendacio quod nulli noceat abuti, vulgo Chriſtianis adſcribi, & quidem (pace illius dixerim) per ſummam injuriam, primis illis ſanctiſſimis veritatis cultoribus in re tanti momenti, unde invidia flagraſſet Evangelium cum aeterna Chriſtiani nominis infamia. Plinius Junior omnem nervum intendit An. Chr. 112. circ. ut aliquam in Chriſtianis noſtris antiquioribus labem deprehenderet, ſed oleum atque operam perdidit, ut conſtat ex ejus ad Trajanum litteris, monumento utique aere perenniore actae ab iiſdem vitae ad verae virtutis, & religionis praeſcriptum: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpae ſuae vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem; ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, &c.* Adhibuit tormenta

ta ut aliquid eliceret : *ſed nihil aliud*, inquit, *inveni quam ſuperſtitionem pravam, & immodicam*. Scilicet quod vitium execrabile pro invehendo novo cultu atque lege fugit lynceos hoſtium oculos Chriſtianorum mores, & inſtituta ſpectantes, Theologi & Critici noſtrates poſt ſedecim tandem ſecula animadverterunt. Fide ne Pelaſga vulgo fucum fecerunt religionem aſſerentes ab adverſariorum maledictis? Ulla ne amplius impoſtoribus habenda fides?

Quam temere in noſmet legem ſancimus iniquam!

XX. Obtruſa ſub adſcito Pilati nomine prioribus ſeculis ab Idololatris, vel vitiata vetera ſinceraque Acta Pilati ad conflandam Chriſtiano nomini invidiam inficiabitur nullus. Queritur de hujuſmodi fraude Euſebius H. E. L. 1. c. 9. ubi ea dicit cuſa χθὲς καὶ πρώην: & L. 9. c. 5. narrat impiorum hominum dolo, cum Maximinus Chriſtianos vexaret initio Seculi IV. in vulgus ſparſa: *Denique cum Acta quaedam apud Pilatum ſuper ſervatore noſtro habita compoſuiſſent plena impietatis adverſus Chriſtum, ea per omnes provincias Imperii Maximini, ipſo jubente, dirigunt, mandantes per litteras, ut ubique locorum tam in agris, quam in civitatibus publice proponerentur; utque ludimagiſtri pro dictatis haec declamanda, & memoriae commendanda pueris traderent*: Fabulae tamen a veritate, a qua longius abeunt oriuntur. S. Juſtinus Martyr Seculo II. in Apologia 2. eorum meminit: *Haec autem geſta eſſe, ex iis Actis quae Pontio Pilato praetore facta ſunt perſpicere poteſtis*, quod iterum totidem verbis ſcribit. Sub ejuſdem Seculi II. finem Tertullianus Apologeticum exaravit (Anno Chr. 198. ex Diſquiſitione Chronologico-Critica *Jo. Laur. Moſheimii* de vera aetate Apologetici a Tertulliano conſcripti ad *Sigebertum Havercampum*) atque illic capite 5. provocat ad Acta Pilati, quae non ſane primus extruxit, ſed ante ipſum atque Juſtinum M. conficta fuiſſe oportuit Apoſtolorum aevo, ſiqua hic fraus ſubeſſet: quod cum Poſſinus evidenter oſtenderit, tum herbam porrigemus: *Tiberius ergo cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annuntiata ſibi ex Syria Palaeſtina, quae illic veritatem iſtius Divini revelarant, detulit ad Senatum cum praerogativa ſuffragii ſui. Senatus quia non in ſe probaverat, reſpuit; Caeſar in ſententia manſit comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum*. Hunc Tertulliani locum laudat Euſebius H. E. L. 2. c. 2. ibique ſe Tertulliano fidem habere non obſcure ſignificat. Fruſtra hic legendum putant Rhenanus, Scaliger, aliique *Senatus quia non ipſe probaverat*: nam ut ad-

nota-

Digitized by Google

notatur in luculenta Apologetici editione adornata a Cl. viro *Sigeberto Havercampo* Lugduni Batavorum An. Chr. 1718. *omnes MSS. etiam L. B. & editiones poſteriores Rhenani* in ſe : *recte* . Atque hac ſola vera Tertulliani lectione concidunt quae opponuntur ex libertate Senatus, cui Tiberio non obſequi exitiale fuiſſet. Non probaverat Tiberius Divinos honores ſibi exhibitos : idcirco obſervantiae argumentum fuit, non obſiſtendi voluntas, rejicere etiam Chriſti Apotheoſin ; conſimilia enim *in ſe* pro ſe Caeſar non probaverat. Neque apud Graecos Euſebius, neque apud Latinos Oroſius plane aſſecuti videntur Tertulliani mentem ex verbis ſubobſcuris, quibus tenebrae magis magiſque offunduntur ſi *rò ipſe* adſit.

XXI. Abjicienda igitur Poſſini ſententia, nec dicendi ſunt veteres Chriſtiani confinxiſſe Acta Pilati quae ab Ethnicis interpolata fuerunt,& a Maximino Orientis Imperatore quoquoverſus miſſa ad Chriſtiani nominis ludibrium. Fallitur quoque dum contendit, Sejanum de dignitatum faſtigio dejectum atque necatum Anno aerae Chriſtianae XXXIII. cadente, quocum Grandamico ſuo arbitratur crucis ſupplicio affectum Redemtorem, ac fortaſſe actum de ejus Apotheoſi in Senatu ante ſuprema Sejani fata. Sejani cataſtrophe contigit An. Chr. XXXI. Memmio Regulo Conſule ſuffecto apud Dionem Lib. 58. Etenim Memmium Regulum Anno Chr. XXXI. non XXXIII. ut perperam Poſſino viſum, Conſulem prodit Nolanus lapis, Noriſio, Pagio, Schelſtratio, memoratus :

TI. CAESAR AUG. V
SUF. VIII. ID. FAUSTUS. CORNELIUS. SULLA
SEXTEIDIUS. CATUL. COS
SUF. K. JUL. L. FULCINUS. TRIO. COS
SUF. K. OCT. P. MEMMIUS. REGULUS. COS

Sculpta eſt Tabula poſt damnatum Sejanum Collegam Tiberii quintum Conſulis ; quapropter nomen ejus cum Tiberio non comparet ; exhibetur autem Memmius Regulus. Conſtat Anno Chr. XXXI. Conſules
Tab. IV. proceſſiſſe Tiber. Auguſt. V. & L. AElium Sejanum. Accedit Tacitus
fig. 1. & 2. (ait Pagius An. Chr. 31.) qui L. 5. Annal. tradit animadverſum ſub Conſulibus An. Chr. XXXI. poſt Sejanum interfectum, in ejus liberos, compreſſamque prius a carnifice (malum!) puellam, quod inauditum foret affici triumvirali ſupplicio virginem, abjectaque in Gemonias corpora fuiſſe. Haec in Poſſiniana Chronotaxi nullum ſibi vendicant locum, in qua mors Sejani Chriſti morti revera praeverteret. Haud ta-

tamen ſcio, quî Schelſtratius de Poſſino triumphans velit in ſua tantum ſententia de Anno aerae noſtrae XXIX. Chriſti emortuali, haec locum habere poſſe. Nihil quippe impedit quominus Chriſtus Aprili menſe Annoque noſtro XXX. in Judaea cruci ſuffixus, tum eodem, tum multo magis ſequenti anno in Urbe coleretur a plurimis, maxime Judaeis illuc e Syria continenter ſe conferentibus, aliiſque inſuper ejus praeclara facinora atque leges admirabiles de Judaeis audientibus, quamquam non adhuc Chriſti cultores Chriſtiani vocabantur, quod parvi refert. Tacitus de Nerone atque Chriſtianis agens L. 15. Annal. Romam, ait, confluere cuncta ſolere, maxime quae ad varia ſuperſtitionum ſcelerumque genera pertinerent; ad haec ſiquidem impius Hiſtoricus revocat veri Dei cultum. Hinc tamen perſpicuum fiet ad eam Urbem tanti Imperii caput Chriſtianos non paucos adpuliſſe paulo poſt Chriſti mortem variis de cauſis, ejuſque doctrina plures alios ibidem imbuiſſe: *exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat non modo per Judaeam originem ejus mali, ſed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque.*

XXII. In Actis SS. Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici, cum Andronicus tertium pro Chriſtiana Religione tuenda pugnaret, Chriſtumque celebraret, repoſuit Maximus: *Iniquiſſime non ſcis quem invocas Chriſtum, hominem quemdam factum, ſub poteſtate Pontii Pilatii, punitum, cujus & Acta repoſita ſunt.* Fortiſſimuſque Dei miles reſpondit tantum: *obmuteſce ſpiritus immunde, non enim licet tibi loqui de hoc*: neque Acta tamquam ſuppoſita falſi poſtulavit, quod factu tam facile erat, nihilque vetabat: contra ea ratione Maximum potuiſſet ad incitas redigere. Nam de humana natura Verbo conjuncta palam cum Ethnico diſceptare non tam facile ſinebat Arcani Diſciplina. Itaque videtur Martyr ſanctiſſimus Acta illa agnoviſſe veluti ſincera, non a quoquam conficta. Sanctorum Martyrum Tarachi, & Sociorum Acta tamquam minime ſubleſtae fidei, retulit in praeſtantiſſimum Codicem ſuum omnium manibus diu noctuque terendum vir ſummus Theodoricus Ruinartus, monuitque non opus eſſe ut quicquam in eorum commendationem proferatur, *cum non ſolum ex ipſa eorum lectione, ſed etiam ex omnium eruditorum conſenſu certum ſit, nullum fere ex antiquis monumentis aut pretioſius, aut ſincerius haberi.*

XXIII. Martyrium contigit Anazarbi in Cilicia, ubi SS. Martyres gladio tandem caeſi ſunt, pertinetque cum eorum Actis ad An. Chr. plus minus 304. ex Ruinarto. Prodit illuſtre hujuſmodi monumentum

K 2 quam

quam digne de Filio Dei ſentirent ſanctiſſimi Martyres, quanta veneratione proſequeretur Chriſtianus populus vel ſacra Martyrum lipſana & exuvias: ſervabantur enim, maximi aeſtimabantur, unguentiſque condiri non raro ſolebant. Haec & alia id genus plurima, tum ex hiſce Actis, tum ex celebri Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiae Seculo II. de Polycarpi Martyrio, intelligimus. Ac duo haec Chriſtianae antiquitatis monumenta Catholicae Eccleſiae dogmata, ritus, diſciplinam, egregie illuſtrant. Joſephus Scaliger Heterodoxorum facile princeps Smyrnenſem Epiſtolam miris ſed veris extulit laudibus in Euſebianis Animadverſionibus ad Annum 2183. *Certe ego nihil unquam in Hiſtoria Eccleſiaſtica vidi a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus eſſe videar*. Extat hoc quoque monumentum lectu digniſſimum in Ruinarti laudatis *Actis Primorum Martyrum ſinceris, & ſelectis*. Valeat igitur cum Tanaquillo Fabro Poſſinus, & quotquot levibus conjecturis labefactare conantur Acta, ad quae provocarunt Seculo II. in ſuis Apologiis Religionis noſtrae aſſertores, agnoveruntque conſecutis temporibus Oroſius, Epiphanius, J. Chryſoſtomus, Gregorius Turonenſis, Auctor Chronici Alexandrini, Cedrenus, Nicephoruſque, ut oſtendit Schelſtratius tom. 1. Antiquit. Eccleſ. Diſſert. 1. cap. 5. art. 2. & Pearſonus Anglus aequior praeſtantiorque Tanaquillo Eccleſiaſticae Antiquitatis judex. *Tutius multo eſt* inquit Pearſonus *iſtam Tiberii ad Senatum de Divinitate Chriſti relationem amplecti*, poſt disjectas Tanaquilli ratiunculas, *Lection. in Acta Apoſt.* Extant quoque Pearſoni excerpta in Variorum Adnotationibus, Valeſianis ſubjectis, ad caput 2. L. 2. H. E. Euſebii nitidiſſimae editionis Cantabrigienſis An. Chr. 1720.

XXIV. Et Epiphanius quidem minime praetereundus videtur loquens de Pilati Actis, Haereſi L. τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν. *Sunt inter eos nonnulli qui unam eamdemque diem obſervant, & una eademque jejunant ac Myſteriis operantur. Nam ex Actis Pilati accuratam ſe hujus inſtituti rationem didiciſſe gloriantur, in quibus ſcriptum eſt VIII. Kal. Aprilis Salvatorem eſſe paſſum. Quamobrem illa ipſa die celebrare Paſcha volunt, in quamcumque demum Lunae XIV. dies incurrerit. Atqui in Cappadocia degunt, eamdem diem quae eſt VIII. Kal. April. celebrant: tametſi non mediocris eſt inter illos diſſenſio. Nonnulli enim Lunam XIV. ſtatuunt, quae in VIII. Kal. Apriles incidit. Nos Actorum ejuſmodi Pilati exemplaria quaedam invenimus quae A. D. XV. Kal. Apriles Paſſionem Chriſti con-*

contigiſſe narrabant. Verum certo illud & ex rei veritate comperimus A. D. XIII. Kal. April. paſſum eſſe Salvatorem. Alii ad X. Kal. April. rejiciunt: ſed iſti a propoſito exciderunt. Verum nolo pluribus de ea re diſputare, alioquin multa nobis ad dicendum ſuppetunt. Petavius *Animadverſionibus in Panarium Epiphanii*, Scaligero, quem multo ſale perfricare ſolet, tantiſper vellicato, *neque vero* inquit *minor Calviniani alterius eſt vanitas, qui Epiphanium credulitatis inſimulat, ex eo quod variis in locis Pilati Acta laudet, neque tamen in falſi ſuſpicionem adducat: quod ne refutationem quidem meretur.* Sedulo memoriae commendandum quod de diverſo Paſſionis tempore in exemplaribus diverſis adnotavit S. Epiphanius. Enimvero fit hinc perſpicuum, exſcriptores quandoque annos vitiaſſe ac pervertiſſe, vel dies & menſes, ut opinioni quam ſemel imbiberant ſe ſe accommodarent. Fortaſſe mendum putabant, medicamque manum apponere debere ſibi videbantur; niſi forte ex Codicis ora, ubi dies anni ve alii adnotabantur quidpiam in textum, neque id raro, irrepſerit. Quo fit ut non ſine delectu quaedam Patrum, & Hiſtoricorum loca huc ſpectantia ab emunctae naris Chronographis ſint adhibenda.

XXV. Capite ſuperiore ſtatuimus n. VI. VII. VIII. Pilatum Anno vulg. aera XXVII. in Judaeam perveniſſe, & Redemtorem noſtrum ter Paſcha celebraſſe, Annis ejuſdem aerae XXVIII. XXIX. & XXX. poſt Baptiſmum conſignandum initio Anni XXVIII. Qui Redemtoris mortem revocant ad An. aerae vulgaris XXIX. Pilati adventum anno antecedenti XXVI. figere coguntur, ut agendorum trium Paſchatum tempus ſuperſit, quod aequo animo ferri utcumque poteſt, quamquam non admodum veriſimile arbitramur: atque hac ratione Noriſius, & Pagius tria tantum Paſchata recenſent; nobiſque fas eſſet (ſi quidem Pilatus in Judaeam ſe contuliſſet Anno vulg. XXVI.) quatuor poſt Baptiſmum Paſchata tueri. Non licet autem Henſchenio, Schelſtratio & Graveſono conſignare Anno vulg. XXIX. ſupremum Paſcha quod Quartum fuerit, & Pilatum in Judaeam deducere Anno vulg. XXV. quod tamen fecerunt fortaſſe ingratiis. *In hac ſententia* (inquit Noriſius de Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 16. §. 12.) *tria tantum Paſchata Chriſto poſt baptiſmum praedicante, admitti poſſunt, ne dicatur Joannes baptiſmum indixiſſe antequam Pilatus in Judaeam adveniret; cum S. Lucas c. 2. ſcribat id contigiſſe Procurante Pontio Pilato Judaeam.* Pilatus, auctore Joſepho, decem annos Judaeam adminiſtravit, non duodecim, ut illi ſciſcere videntur. Haud ſcio quale

le tuliſſet judicium Noriſius de concive ſuo Cl. Blanchinio, dum Pilatum volentem nolentem in Judaeam pertrahit Anno vulg. XXIV. (Vid. tom. 2. Anaſtaſii Romae editi An. Chr. 1723. Tabul. Chronol. pagin. clxix. & clxx. in Prolegom.) Chriſtum vero Anno vulg. XXVIII. cruci ſuffixum pugnat poſt quatuor Paſchatum celebrationem. Neminem fugere cenſeo quantum Ill. Blanchinii ſyſtema fatiſcat, claudicet, ſuaque ſponte corruat. Alicubi fortaſſe Pilatus triennium delituit, ut in Urbe demum rationem redderet non tantum Judaeae jamdiu vexatae, tot turbarum ac caedium; verum etiam ſceleris multo gravioris, poſtquam in jus vocatus tamdiu parere detrectavit. Ubi ubi fuiſſet, tamdiu cunctando novum certumque flagitium perpetraſſet.

XXVI. Texuit Fl. Joſephus ſeriem quantivis pretii Procuratorum Judaeae ab exacto Archelao uſque ad ſupremum annum Tiberii ἀρχαιολογ. L. 18. c.2. Coponius cum Quirino miſſus fuit ab Auguſto Procurator: eos qui conſecuti ſunt Joſephus ita exhibet: *Non multo autem poſt Coponius Romam revertitur, eique ſucceſſit in praetura M. Ambivius .... Huic ſucceſſit Annius Rufus, quo praetore mortuus eſt Caeſar* (Octavianus Auguſtus) ...... *Caeſari autem in Imperium ſucceſſit Tiberius Nero uxoris ejus Juliae filius. Hic tertius Romanorum Imperator; & ab eo poſt Annium Rufum praetor in Judaeam miſſus eſt Valerius Gratus .... Et Grato quidem, cum in Judaea annos undecim exegiſſet, Romam reverſo, Pontius Pilatus ſucceſſit.* Pilatus, ut notum ex eodem Joſepho, decennium verſatus eſt in Judaea; Romamque pervenit poſt obitum Tiberii. Octavianum Caeſarem vita functum die 19. Auguſti An. aerae Chriſt. XIV. Tiberius excipit, atque poſt Rufum mittit in Judaeam Gratum, qui ſane intra quadrimeſtre ſpatium quod ſupereſt ejuſdem Anni vulg. XIV. eo non pervenit, ſed XV. jam adulto, vel potius XVI. Non enim Tiberius ſtatim, ac Imperator eſt inauguratus Auguſti Procuratorem Magiſtratu abire juſſit, neque uſpiam id ſcripſit Joſephus. Ne cogitavit quidem id Princeps, cui non deerat Romae negotiorum moles incredibilis; quapropter Joſephus ait *poſt Annium Rufum praetor in Judaeum miſſus eſt Valerius Gratus* a Tiberio. Et ſi quidem Gratus in Syriam adpulit An. Chr. XV. (Nam ſtipes ſit oportet qui antea id contigiſſe putet) Pilatus poſt annos undecim adminiſtrationis Grati, non illuc ſe contulit niſi Anno Chr. XXVI. Qui igitur Anno Chr. XXV. ac multo magis qui cum Ill. Blanchinio Anno Chr. XXIV. Pilatum Judaeae Procuratorem ſtatuunt, tota videntur errare via, cum diu poſt eo munere fungi coeperit. Gratus

Digitized by Google

tus tamen Anno potius Chr. XVI. miſſus videtur a Tiberio, qui vix de ea re praecedenti anno cogitaverit: ac multo ſatius eſt Pilati adpulſum ad Syriam protrahere ad Annum Chr. XXVII. decennio, ex Joſepho, antequam illinc Romam proficiſci compelleretur, quod ſane contigit Anno Chr. XXXVII. eo enim pervenit poſt obitum Tiberii.

XXVII. Animadvertendum eſt L. Vitellium virum Conſularem Syriae Praeſidem, de quo egimus capite anteced. num. 7. miſſum fuiſſe a Tiberio in Syriam Anno Chr. XXXV. Urbis C. 788. quo Conſules erant C. Ceſtius Gallus, & M. Servilius Nonianus, ut ex Tacito L. 6. Annalium optime ſtatuit Vir immortalis memoriae Cardinalis Noriſius de Cenotaph. Piſ. Diſſert. 2. cap. 16. §. 13. in Chronologia ibidem egregie contexta Syriae Praeſidum ab exturbato Archelao ad Jeroſolymam everſam. Cum igitur bis Jeroſolymam ſe contulerit quo tempore Paſchata peragebantur, primum Tiberio imperante, iterum vero ſub initium Imperii C. Caligulae, quem tum reſcivit ex litteris, Tiberio mortuo, Imperatorem renuntiatum, ut a Joſepho accepimus L. 18. de Antiquit. cap. 6. & 7. conſtare putamus duo illa Paſchata incurriſſe in Annos Chriſti XXXVI. & XXXVII. ac paulo ante feſtum diem poſterioris hujus anni, qui incidit in 19. Aprilis, Pilatum ex Judea Romam proficiſci coactum. Joſephus quidem ceterorum Hiſtoricorum more, ad calcem capitis 5. de Pilati ſaevitia & caedibus agens, ejus profectionem interſerit, adventumque in Urbem poſt exceſſum Tiberii. Ceterum ſequentibus Capitibus 6. & 7. utrumque Paſcha celebratum praeſente Vitellio Praeſide memorat, primum quo abrogato Joſepho Caiphae Sacerdotio Jonatham Anani Pontificis filium auxit, Tiberio vivente, alterum, quo Jonatham eumdem Sacerdotio dejecit collato Theophilo Fratri Jonathae, cum jam C. Caligula rerum potiretur; quemadmodum cognovit ex litteris, quarto poſtquam Jeroſolymam conceſſerat, die acceptis. Atque ad poſterius hoc tempus pertinet Pilati profectio ex Judaea. Siquidem tam Vitellius feſto hoc die, quam Pilatus aliquanto prius e Syria ſolvens, ignorabant C. Caligulam imperare; quod Vitellius in Judaea paulo poſt ex epiſtolis intellexit, Pilatus in itinere, vel cum ad Italiae oras adpuliſſet. Quod ſiquis contendat prius Paſcha celebratum fuiſſe An. Chr. XXXV. dabimus id libentes; ſed fortaſſe eo tempore ne in Syriam quidem adhuc venerat Vitellius. Quicquid id eſt, alterum Paſcha ſpectat ad Annum Chr. XXXVII. quo Tiberium, menſe Martio, Caligula excepit.

XXVIII. Templi inſtauratio revocatur n. IX. ad vernam tempe-

ſtatem

ſtatem A.U.C. 735. labente Anno Herodiani Regni XVIII. ab Antigoni nece, quae eſt hujus Regni altera epocha. Idipſum Magnus Petavius ſtatuerat in Chronologia L.13. *De Doctrina temporum*, An. U.C.735. Periodi Julianae 4695. cum Sentius Saturninus, & Lucretius Veſpillo Conſulatum gererent: *hoc anno qui Herodis XVIII. numeratur, Templum, vetere diruto, inſtaurari coeptum ab Herode* Joſ. L.15. c.14. Nec quicquam negotii faceſſit Annus Regni XV. enumeratus L.1. de Bello c.6. vel enim ιε irrepſit pro ιη, vel de alio ſacrae aedis ornatu ſermo eſt; nihil autem opis adfert epocha duplex quae heic locum non habet; ſed ſtandum Libris de Antiquitatibus: ac conſuli poteſt Aldrichius in Havercampi Adnotationibus ad locum L.1. de Bello. Facem praefert pro recte figenda Templi epocha ampliſſimus Cardinalis Noriſius de Cenotaph. Piſ. Diſſert.2. c.6. tres Herodis Aſcalonitae Regis navigationes in Italiam illuſtrans: ſiquidem Ioſephus, cum poſtremo capite L.15. de Antiqu. fuſius perſecutus fuerit Templi inſtaurationem, Anno Regni XVIII. coeptam; initio ſequentis Libri 16. continuo recenſet priorem navigationem Herodis: *Per id autem tempus profectus eſt in Italiam, quod deſiderarit & cum Caeſare colloqui, & filios ſuos qui Romae agebant videre*. Sed obſervare oportet ſeſquiannum ſaltem interjiciendum eſſe inter inſtaurationis initium, & primam hanc Herodis profectionem. Joſephus enim in calce L. 15. poſtquam litteris commendaverat quicquid ad Templi ſubſtructionem ejuſque initium An.XVIII. pertinet: antequam ad iter Herodis & quae conſecuta ſunt narranda ſe conferat, ait: *Poſtquam autem aedes a Sacerdotibus uno anno & ſex menſibus exaedificata eſt, univerſus populus laetitiae plenus erat, Deoque gratias agebant, primum quod tam cito factum fuiſſet; deinde quod eam operi diligentiam adhibuiſſet Rex, feſtum diem agentes, & Templi inſtaurationem fauſtis ominibus proſequentes: Rex autem Deo trecentos boves immolavit; reliqui item pro ſua quiſque facultate* = Quae omnia plane conficiunt extrui coeptam Jeroſolymitanam aedem circa Paſcha An.U.C. 735.

XXIX. Noriſius palam fecit Herodem primum, tranſmiſſo mari Romam ſe contuliſſe An.U.C.737. ut qui de ea re jam dubitare vellet ſoli noctem offundere inepte niteretur moroſus vitiilitgator. Et poſſet fortaſſe ſuperiore Anno U.C. 736. iter hujuſmodi conſignari ex Noriſio; nulla autem ratione poſt An.U.C. 737. Utroque illo Anno Auguſtus Romae egit, & ſequenti U.C. 738. Agrippam in Orientem miſit, & Roma ipſe pariter diſceſſit. Conſtat igitur ante Annum U.C. 738. iter

pri-

primum Romanum ab Herode inſtitutum; maxime cum Rex Agrippam iterum in Oriente verſantem continuo convenerit poſt ſuum cum filiis reditum, nuptiaſque Ariſtobuli cum Berenice Salomes filia, & Alexandri cum Glaphyra Archelai Regis Cappadocum gnata celebratas, teſte eodem Joſepho initio Libri 16. Antiqu. Cum vero effluxerint menſes duodeviginti inter coeptam Templi extructionem & iter conſignandum non ſerius An. U. 737. patet, cadente anno U.C. 736. feſtum diem peractum eſſe Jeroſolymis; & ſub anni finem, vel potius ſequenti U.C. 737. vere appetente, ac tempeſtate trajiciendo mari magis idonea, Herodem e Syria Romam verſus ſolviſſe, ac recte primordia inſtaurationis ſacrae aedis figi An. U.C. 735. circa Paſcha. Vix quaerendum ſupereſt uter annus ſeligendus ſit pro prima navigatione, evulſo ſcrupulo Noriſium vexante. Fortaſſis illud quoque Herodem impulit ut An. U.C.737. Romam pergeret, editos tum fuiſſe in Urbe Ludos Seculares ab Auguſto optime de Herode merito, ad quos omnes a praeconibus advocabantur, quod magnificentiſſima ſpectacula neque antea vidiſſet quiſquam, neque poſtea eſſet viſurus.

XXX. Heic vero me miſeret Bernardi Lamii, nam ut ſuae temporum rationi & Evangelicae Chronotaxi, in qua ad umbilicum deducenda tot annos labore improbo inſudavit, proſpiciat, ſibi minime conſtat, multa a veritate prorſus aliena comminiſcitur, & omnia miſcet Par.1. Chronol. cap.7. Principio, (ad An. U.C. 735.) cenſet An. XVIII. Herodiani Regni complecti partem ſequentis An. U.C.736. *Siquidem vero annus currens decimus octavus Regni Herodis concurrit cum Anno Ur. Cond.736. poteſt ad illum annum referri conſilium de inſtauratione Templi ..... ſic quadrabunt omnes calculi noſtri, ex quibus deprehendemus reipſa ante quadraginta & ſex Annos coeptum fuiſſe aedificium Templi, quando J. Chr. D. N. illud ingreſſus expulit prima vice in eo vendentes & ementes* : Et rurſum (Ad An. U.C. 738.) cenſet hoc Anno inchoatam Templi aedificationem. *A quo tempore ſi numerentur qui lapſi ſunt Anni uſque ad Annum Urbis Cond.* 784. *quo obtigit illud Paſcha, in quo Jeſus Chriſtus Dominus N. templo expulit & flagellis caecidit qui illud polluebant, Anni quadraginta ſex elapſi reperientur*. Impingit in limine Vir Clariſs. nam An. U.C.735. abſolvitur An. XVIII. Herodiani Imperii, non inchoatur, repetendo cum eodem Lamio hanc epocham U.C.717. Praeterea coeptam aedificationem putat poſt iter Herodis, cum ante navigationem feſtus dies, ac ſolemnis laetuſ-

L que

que conventus ſit celebratus, Anno & ſex menſibus ab inchoata inſtauratione elapſis. Ad haec Paſcha primum a Salvatore Noſtro poſt baptiſmum peractum, confert in An. aerae noſtrae Dionyſianae XXXI. ante quem veteres illum Crucis ſupplicio affectum exiſtimant. Demum quot verba tot peccata: ſed non idcirco doctiſſimi hujus Scriptoris, aut caeterorum manibus inſultandum, qui niſi glaciem ſcindere coepiſſent, nos homunciones parum promoveremus.

XXXI. Salianus & Harduinus, ut alios praeteream, ne aſſis quidem aeſtimarunt monumenta petita ex inſtaurati Templi annis pro Paſchate primo recte figendo, cum parum Joſepho fidant: in Anno tamen primo ſacrae aedis extructae, ſi quando extrui coepta eſt, propius ad veritatem accedit Harduinus, quam B. Lamius; ſiquidem ille Nummos Herodiadum illuſtrans ait: *An. 734. Herodes Templum Jeroſolymitanum inſtaurari juſſit, ſi fabulatori Joſepho credimus*. Haec uni Harduino licent qui numquam ſomnia & fabulas conſectatur. De Saliani Annalibus quid Magnus Cardinalis Noriſius ſenſerit notius eſt quam ut indigeat ejus verbis prolatis confirmari. Monſtri ſimile foret Herodem, qui tot reliquit longe etiam a Judaea magnificentiae monumenta in Syria & in Graecia, Antiochiae, Damaſci, Tyri, Sidone, Athenis, Lacedaemone, tot Rhodiis beneficia contulit, Pythiumque templum igni abſumtum a fundamentis iterum excitavit (L. I. de Bello, & L. 16. Antiqu.) nihil de Jeroſolymitana aede cogitaſſe. Qui vero fieri unquam potuit, ut Joſephus ejuſque libri tanti a Romanis habiti, tot putidiſſimis mendaciis ſcaterent, neque illum puduerit falſi tam facile poſtulari, & damnari potuiſſe? ſed poſtquam plurimi ab antiquis ſcriptoribus Hiſtoricus noſter aeſtimatus fuit, ſerius ac oportuit inſimulatur a recentioribus nonnullis. Ceterum quod Joanne Evangeliſta locuplete ſane teſte, Judaei Chriſto reponunt capite 2. commate 20. *Dixerunt ergo Judaei, quadraginta & ſex annis aedificatum eſt templum hoc*, ad Herodianum opus revocatur, neque ad vetuſtiorem ullam ſacrae aedis conſtructionem pertinere ullo modo poteſt.

XXXII. Quam id veritati ſit conſentaneum intelligitur ex Viri longe doctiſſimi ex illuſtri eadem diſciplina J. Maldonati commentariis in S. Joannis allatum locum. Eos illic caſtigat celeberrimus interpres, qui hujuſmodi 46. annos expiſcantur a Davide uſque & Salomone ac prima Templi magnificentiſſimi aedificatione. Cum vero ad alterius initium ventum eſt Zorobabelis aetate poſt captivitatem Babylonicam, unde arceſſit ipſe hoſce 46. annos, adeo inauſpicato rationes ſubducit,

& in

& in tot ſcopulos ſe lectoremque conjicit, ut nemo non videat rem impeditam, ea interpretatione uſurpata, minime reſtituere, & nullum exitum invenire. Quid? Interpres Sacrarum Litterarum, Richardo Simonio teſte, praeſtantiſſimus, repudiata epocha Templi ducta a Davidis & Salomonis aetate, quae pauciores quam oporteat Annos complectitur, obſervat *quod templum illud quod Judaei oſtendebant, cum dicebant quadraginta & ſex Annis aedificatum eſt templum hoc, non erat id quod a Salomone factum fuerat, ſed prorſus aliud a primis fundamentis excitatum*. Hinc vero confici exiſtimamus Judaeos inibi ne de ſecunda quidem aedificatione locutos, ſed de Herodiana inſtauratione, quod tam Chriſtus quam maleferiati illi verba facerent de diruenda excitandaque rurſum triduo aede Jeroſolymitana, quemadmodum tum extabat: *Solvite*, inquit Chriſtus, *templum hoc*, uti videlicet nunc ſe habet: *Quadraginta & ſex annis aedificatum eſt templum hoc*, reſpondent pervicaces Hebraei; hoc quod oculis noſtris ſpectamus. Ceterum ſe ipſe jugulat dum haec ſcribit de ſecundi Templi conſtructione Regum Perſarum beneficio coepta, pro qua pugnat: *Illud etiam certum eſt, non poſſe hoc intelligi de illis tantum Annis quibus ſecundum Templum aedificatum eſt, non numeratis iis quibus propter vicinos hoſtes ab opere ceſſatum eſt. Illi enim quibus Templum aedificatum eſt, iſtis exceptis, vix octo fuerunt Anni*. Itaque octo Anni in quadraginta ſex migrant. Neque id ſatis Maldonato, ſed ut numerum hunc colligat ſeptem Magorum Perſidis menſes pro anno computantur; ac praeterea: *Credo igitur ego* inquit *non ajactis fundamentis Templi, ſed ab Altari primum ſtructo Annos eſſe numerandos, aut a facultate a Cyro Judaeis data ut iterum Templum aedificaretur*. Praeſtantiſſimus hujus cauſae patronus non potuit apertius eam prodere quam ita tuendo.

XXXIII. Non is tamen eſt Maldonatus, qui in ſacrae aedis inſtauratione & Herodiani Templi, quam pluribus proſequitur, deſcriptione Joſephus, credat celeberrimum hunc Scriptorem mentiri impudentiſſime: ait enim *tertiam aedificationem optimus Joſephus affirmat novem annis finitam*. Fallitur tamen Vir maximus: nam inſtauratio ab Herode coepta perduravit non ſolos quadraginta ſex Annos, ſed longe plures, diu poſt Herodis Chriſtique mortem, ex Joſepho optimo teſte (Lib. 20. Antiqu. cap. 8.) quemadmodum eum merito vocat Maldonatus. Illud quoque ſcite ab eodem adnotatum, Primum tantum & ſecundum Templum extitiſſe Jeroſolymis, prius a Salomone excita-

tum, alterum Zorobabelis & Eſdrae aetate: numquam enim ſecundum hoc Templum everſum novimus, ſed ab Herode inſtauratum amplificatumque. Quapropter conſtanti Hebraeorum ſententia Zorobabelis & Herodis Templum recte unum & idem habitum fuit, ut animadvertit Uſſerius in *Annalibus Veteris & Novi* Teſtamenti ad An. ante aeram Chriſt. 16. Periodi Julianae 4698. Neque aliud ſenſiſſe Ethnicos intelligimus: Tacit. L. 5. Hiſtor. ubi idem exhibetur Templum expugnatum a Pompejo ante Herodem, & poſt Herodem a Tito cum igne conflagravit. Itaque dum Theologi & Sacrorum Bibliorum interpretes veniſſe jam exoptatum Meſſiam Orbis Reparatorem adverſus Judaeorum pervicaciam oſtendere nituntur ex Gloria ſecundi Templi qua Primo antecelluit, ob ejus praeſentiam, ut Sacri Vates Aggaeus cap. 2. & Malachias cap. 3. jamdiu praenunciaverant, nihil illis metuendum ab hac Herodis ſubſtructione. Illuſtria illa duorum Prophetarum Oracula, cum alii quamplurimi, tum vero maxime expendit eruditiſſimus Calmetus in ſuis Commentariis.

XXXIV. Itaque ab exordio inſtaurationis minime fabuloſae Jeroſolymitani Templi uſque ad primum Paſcha Anni Chr. XXVIII. excurrunt Anni ſex ſupra quadraginta, verna illa tempeſtate exacti: atque ita oportebat ut Graeci Textus S. Joannis cap. 2. ratio habeatur: *τεσσαράκοντα ϗ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος*: quadraginta & ſex Annis aedificatum eſt hactenus hoc Templum, ut aoriſti illius vis poſtulat, quod Uſſerius cum Lidyato ſuo obſervat. Praeterea Anno Chriſtianae aerae XXVII. non poteſt Chriſti Primum Paſcha poſt Baptiſmum conſignari. Plura interjici conſtat inter Baptiſmum & Primum Paſcha, quae trimeſtre fere ſpatium expoſcant: ac aequale fere intervallum conſtituamus neceſſe eſt inter Joannis Baptiſmum adminiſtrantis primordia, & Chriſti Baptiſmum. Quo fit, ut Octobri ineunte, Anno Chr. XXVI. fuiſſet praeco Sanctiſſimus a Deo vocatus, quo tempore jam Pontius Pilatus Procurator in Judaea agebat, & in eam ſe contuliſſet aeſtate ejuſdem Anni Chr. XXVI. cum multo veriſimilius ſit Grato ſucceſſiſſe Anno ſequenti XXVII. idque tantum non apodictice confirmet decennnium muneris ſui & reditus Romam, quo celerius ac multi putant ſe conferre debuit, imperio L. Vitellii Praeſidis Syriae coactus rationem Caeſari reddere, & quo poſt mortem Tiberii pervenit Anno vulgari XXXVII. circa aeſtatis fortaſſe initium. Compertum idcirco videtur, ſi Pilati adventum in Judaeam ante Chriſti Baptiſmum Primum Paſcha, & praeterea quadrageſimum ſextum aedificationis

Tem-

Templi annum, qui tunc abſolvebatur Paſchali tempore, prae oculis habeamus, nonniſi in Annum aerae noſtrae XXVIII. Baptiſmum Chriſti & Primum ejus Paſcha incurriſſe. Et quidem Joannes Clericus in *Hiſtoria Eccleſiaſtica duorum primorum a Chriſto nato Seculorum* conjiciens Chriſti Paſſionem in Dionyſianum Annum noſtrum communem XXIX. & pro Quarto Paſchate poſt Baptiſmum pugnans, compulſus Pilatum, obluctantem licet, in Judaeam deducere An. Chr. XXV. menda irrepſiſſe in Joſephi libros nugatur cum ſua non viderit quae in aliorum paulo diligentius haec expendentium oculos incurrunt. Non enim Pilati adpulſum in Syriam conſtituere fas eſt Anno Chr. XXV. ſi Grati adminiſtrationem perpendamus, & adventum Pilati in Urbem Tiberii mortem conſecutum.

XXXV. Atque his quidem pluribus nos adprobaturos plane confidimus ſententiam noſtram de conferenda Servatoris morte in Dionyſianum aerae noſtrae An. XXX. Enim vero Paſcha Primum, ut conſtituimus, ab eo actum, cum vetuſtiſſimorum Chriſtiani nominis Scriptorum auctoritate, tum vero allatis hactenus rationum momentis ratum exploratumque arbitramur. Quando autem nulli magis idonei teſtes rerum tunc geſtarum occurrunt iis qui prope aberant ab ea aetate, non committendum ut ſupremum Paſcha & Paſſio ultra Annum vulg. XXX. protrahantur: etenim hic Annus omnium conſecutorum minimum diſtat a XXIX. Veterum: & apud Orientales, quod neminem praeterit, ad unum eumdemque annum pertinent tres poſtremi menſes An. XXIX. & priores novem ſequentis XXX. unde aliqua facile oriri potuit confuſio. Quotus autem quiſque eſt qui neſciat fas nobis non eſſe duo tantum Paſchata poſt Baptiſmum ſtatuere, & intra unius Anni cancellos concludere quaecumque Dei Filius patravit? Orthodoxi quidam Scriptores a vetuſtiſſimis uſque temporibus huc detorquebant Iſaiae verba cap. 61. *v. 2. ut praedicarem annum placabilem Domino*, accedebantque Haeretici nonnulli, quibus patrum noſtrorum memoria ſubſcripſit J.G. Voſſius inter Calvinianos Doctiſſimus: ſed tam exiguum intervallum neque temporum rationi, neque vero Hiſtoriae Evangelicae eſt conſentaneum. Itaque iſtiuſmodi opinio ſumma omnium conſenſione rejecta fuit, & jamdiu obliterata deſerta jacet.

XXXVI. Quatuor Paſchata ex Evangelio extundere laborant complures, verum irrito conatu, cum S. Joannes Evangeliſta temporum ordinem prae ceteris conſectatus nonniſi tria Paſchata conceptis verbis recenſeat, & Viri longe Doctiſſimi Petavius, Noriſius, Pagius, B. Lamius

mius id in praeclaro lumine collocaverint. Nihil moror Joſephum Scaligerum amplius quoddam temporis ſpatium & immane tribuentem τῇ κηρύξει, Quinto Paſchate de ſuo adjecto nimis liberaliter. Candide impertiar Lectori quod mihi in mentem venit animo verſanti tot diſcrepantes ſententias, & abſonas quorumdam opiniones, in quas labi hic facile contingit, niſi omnia ſibi conſtent: quamquam enim feſtivum eſt, a vero tamen fortaſſis non omnino divinatio abhorrebit. Scaliger quinque Paſchata reperit, Uſſerius inter Chriſti Baptiſmum & Primum Paſcha triennium interjicit, Blanchinius Faſtos caſtigans Primum Paſcha confert in Annum vulg. XXV. ſecundum in XXVI. Tertium in XXVII. Poſtremum τὸ ςαυρώσιμον in XXVIII. Vereor nequis omnia haec ſimul jungendo monſtrum effingat, collatis undique membris, Pilatum ante Annum XX. aerae noſtrae Procuratorem Judaeae ſtatuat, Baptiſmum Servatoris An. XXI. conſignet, Paſcha Primum An. XXIV. ſecundum Anno XXV. Tertium An.XXVI. Quartum An.XXVII. & ſupremum tandem atque Paſſionem An.XXVIII. Itaque cum Annius Rufus aliquandiu Tiberio imperante Procurator in Iudaea verſatus fuerit, foras extruſo Valerio Grato adſcito, Pilatus non decem ſed totos viginti Annos Judaeam adminiſtraverit, & fabulatoris Joſephi peccata tandem aliquando patebunt, plaudentibus non paucis, qui recutitum illum odio pluſquam Vatiniano inſectantur. Addet fortaſſis non nemo, ſuo tamen periculo, ſuſpicari ſe Valerium Gratum diu quidem in Syria egiſſe, cum longe diverſo munere fungeretur; verpum tamen noſtrum, ſupina hominem inſcitia, perfrictaque fronte, omnia miſcuiſſe eo Procuratore conſtituto, & ceteris impoſuiſſe.

XXXVII. Scite Magnus Petavius de numero Paſchatum diſſerens L. 12. de Doctrina Temporum cap. 17. & rem in pauca contrahens *ceteri* inquit *quidem Evangeliſtae Paſchatum ſingulorum mentionem haud expreſſam adeo fecerunt: unus Joannes tria diſtincte memoravit. Primum eſt cap. 2. v. 13. poſt nuptias quibus in Cana Chriſtus interfuit: alterum eſt cap. 6. v. 4. poſt ingens illud miraculum annonae multiplicatae; poſtremum eſt τὸ ςαυρώσιμον ſub quod in Crucem actus eſt*. Porro Vir Sapientiſſimus infiniti inutiliſque laboris opus judicat annumerare diverſiſſimas a variis Scriptoribus conſcriptas concinnataſve harmonias annorum rerumque a Chriſto geſtarum. Laudat quoque pro tribus Paſchatis Irenaeum, & Epiphanium, capite praed. §. V. memoratos; tametſi recte conſtituto numero, in Paſchatis poſtea ſingillatim enumerandis uterque peccat. Adnotat praeterea Originem paria ſen-

Digitized by Google

ſenſiſſe, cum L.2. contra Celſum ſcripſerit Judam non ſolidum triennium egiſſe cum Chriſto. Reipſa Doctiſſimus Origenes in Divino illo Opere numeris omnibus abſoluto, egregio ſane non tam praeclari illius ingenii, quam Chriſtianae Religionis monumento, Lib.2. alios adnotat a Magiſtris ſuis poſt annos plurimos deſciviſſe, ac de Juda ſubjicit: *at Judas neque ad tertium Annum cum Jeſu verſatus eſt*. Idem placuiſſe docet Petavius Apollinari Laodiceno apud S. Hieronymum in cap.9. Danielis: quibus addit Bernardus Lamius Appar. Chronol. P.II. cap.6. §.2. Cyrillum in Iſaiam, quod J. Chriſtum dixerit duobus Annis Judaeam peragraſſe. Hanc nos opinionem de tribus Paſchatis, quae vetuſtiorum recentiorumque Doctiſſimorum Virorum auctoritate nititur, & invictis rationum momentis ex Chronologia petitis ſtabilitur, ſeligendam duximus.

XXXVIII. Feſtus dies memoratus cap.5. S. Joannis, quo languidum male habentem Annos octo ſupra triginta priſtinae reddidit incolumitati, Purim, vel Sortium diem putant Petavius & Ber. Lamius, quamquam non eumdem diem cenſent fuiſſe, quod bis celebraretur: Sed S.J. Chryſoſtomus, Theophylactus aliique ea verba interpretati, cum S. Cyrillo Alexandrino L.2. in Joannem cap.123. & 125. & Maldonato, Pentecoſten. Revera non adeo magnum temporis intervallum poſcunt quae inter Primum Paſcha, & feſtum illum diem geſta ſunt. Quod vero paulo ante eſſent *regiones albae ad meſſem*, Joan. cap.4. v.35. nil officit; nam in Pentecoſtes tempus, & menſem ſequentem incidebat meſſis triticea. Nec quicquam juvat confugere ad ſpatium quatuor menſium ante meſſis tempus, & poſt Primum Paſcha: *Nonne vos dicitis quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Joan. inibi cap.4. v.35. cum ceteroqui intra ſecundum poſt Paſcha celebretur Pentecoſte, meſſis autem tam hordei quam tritici, in Paſcha, Pentecoſten, & ſequentem menſem incidant: quandoquidem verba illa, *adhuc quatuor menſes ſunt* ita Graece habent ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι: vis autem ſubjecta huic voci ſpectat definitam quamdam anni tempeſtatem colligendae meſſis, ut qui Sextili menſe diceret ſe aeſtivo trimeſtri plurima gerere debere, non tres aeſtate illa menſes ſupereſſe idcirco arbitraretur. Recte Petavius obſervavit, Chriſtum, Primo Paſchate peracto a Templo negotiatores & collybiſtas ſubmoviſſe, deinde per ſata tranſiiſſe Sabbato *Deutero-proto*, vel *ſecundo-primo*, Matth.12. Marci 2. Lucae 6. ac emunctae naris viri fatentur probe explicatum hujuſmodi Sabbatum a Scaligero, qui rem acu tetigit omneque tulit punctum,

ctum. Pentecoſte agebatur ſolemni ritu quinquageſimo die, poſt oblatas ſecundo Azymorum die novas fruges. Porro ſeptem hebdomades hujus intervalli, quod Pentecoſte dicebatur, ita ſuo quamque numero vocitabant, ut prima appellaretur *ἑβδομὰς δευτεροπρώτη ſecundo-prima*, videlicet hebdomada prima a ſecundo Azymorum die, hebdomada altera dicebatur *ſecundo-ſecunda*, & conſimili ratione quae conſequebantur. Atque idcirco, ut ſcite Scaliger conjiciebat, probantibus Pagio, Ber. Lamio, ceteriſque ſubacto viris ingenio, Sabbatum *ſecundo-primum δευτερόπρωτον* eſt Sabbatum hebdomadae prioris inter ſeptem ab oblato manipulo enumeratas. Et quidem cum, antequam diebus Azymorum eſſent oblatae, novas fruges demetere, vel deguſtare nefas foret, Phariſaei Chriſti ejuſque Diſcipulorum obtrectatores nequiſſimi, ac maledicentiſſimi non tantum Apoſtolos inſimulaſſent violati Sabbati, quod ſpicas vellerent, ſed eo etiam nomine ipſos damnaſſent, quod ante oblatum manipulum novas fruges delibaſſent, ubi id ante Paſcha contigiſſet. Atque haec quidem geſta ſunt poſt Primum Paſcha, & ante diem feſtum, cujus meminit Joannes cap. 5.

XXXIX. Vix quicquam addere compellimur, poſtquam, niſi egregie fallimur, magni ponderis argumentis oſtendimus Paſcha I. conferri oportere in Annum Chriſti vulgarem XXVIII. neque praeter Secundum, & Tertium aliud quaerendum in Evangeliis, aut ferre vetuſtiorum Scriptorum ſententiam de celebratis a Chriſto feſtis Paſchalibus, ejuſque anno emortuali. Quod pertinet ad Tertulliani locum prolatum capite anteced. de Anno XII. Tiberii pro certo habeo ex nota V. ortam eſſe aliam II. animadverti enim non raro conſimilia menda irrepſiſſe, quod facile contingit plus minuſve disjunctis extremis lineis. Non abs re erit laterculum adponere ad me miſſum a Cl. V. *Jacobo Bettazio* Pratenſi, quo non alium facile reperias magis verſatum in hac temporum doctrina, & Cyclo Judaico, maxime quod neque Ill. Blanchinius, neque Joannes Clericus recte Paſchata conſignent, ope etiam ejuſdem Cycli, quem hic memorat.

Anni

Anni aerae vulgaris Chriſti.	Quartadecima Paſchalis.	Solemnitas Azymorum, ſive Luna XV.	Feriae Diei ſolemnitatis Azymorum.
28.	29. Martii.	30. Martii.	Feria III.
29.	17. Aprilis.	18. Aprilis.	Feria II.
30.	6. Aprilis.	7. Aprilis.	Feria VI.
31.	26. Martii.	27. Martii.	Feria III.
32.	13. Aprilis.	14. Aprilis.	Feria II.
33.	2. Aprilis.	3. Aprilis.	Feria VI.

XL. Nihil attinet perſequi Imperii Proconſularis epocham, ut ut recentiores non paucos ſectatores nacta ſit eam avidius arripientes, quo facilius inter Servatoris Baptiſmum, ac Mortem in Conſulatu Geminorum, ut contendunt, quatuor, vel tria minimum Paſchata peracta tueantur. Dicam quod ſentio, pace doctiſſimorum virorum quos ceteroqui colimus maximopere; lepidum eſt commentum non ita pridem invectum ſuperioris Seculi fortaſſe initio, ne J. Chriſtus videatur cruci ſuffixus Anno XV. Imperii Tiberii, qualis eſt Annus vulgaris XXIX. Romano communi more, quo potius Primum Paſcha celebratum poſt Baptiſmum videtur: ac fruſtra veterum loca huc torquentur. Nec nummi, ut ex pluribus Silani Syriae Praeſidis novimus, nec vero Scriptores ulli eam uſurparunt, unde unde ſit arceſſenda; ſed ſumma omnes conſenſione, ab Auguſti morte (incidit in Sextilem menſem An. U.C. 767. aerae Chriſtianae XIV.) Tiberii Imperium auſpicantur, & aliud quodvis initium ignorant prorſus, atque adeo rejiciunt. Ita Tacitus, Suetonius, Clemens, Tertullianus, & quotquot de Tiberii regno uſquam egerunt. Cl. Petavius de Doctr. Temp. L. XI. c. VII. Natalis Alexander, Hiſt. Eccleſiaſt. Secul. I. Bernardus Lamius in Apparatu Chronologico, aliique ſexcenti praeſtantes doctrina viri fuſius haec perſequuntur, ut jam ſatis explorate cognita videantur, actumque agere dici poſſit, crambemque repetitam moleſte obtrudere velle qui id operam daret ut pluribus epocham ejuſmodi convelleret. Quapropter, velint nolint, Anni XXIX. aerae noſtrae, & diei XXV. Martii vindices, cribro aquam hauriunt, cum neque tum in eum menſem Paſcha inciderit, neque Luna XIV. vel XV. in Feriam VI. ſed Luna XII. Et quoniam Keplero Aſtronomo praeſtantiſſimo vade, corruptis dictitant

Tabula I. fig. 5. 6. 7.

M Cy-

Cyclis uſos ea tempeſtate Judaicorum ſacrorum Antiſtites, quod minus veriſimile vir doctiſſimus *Jacobus Bettazzius* judicat, cum Hebraei contentione ſumma, immo ſuperſtitione quadam ad haec ſtudia animum adjungerent in Judaea, in Phoenicia, in AEgypto, in Chaldaea, & ubique terrarum: quomodo non frangantur S. Lucae auctoritate qui Anno Tiberii Imperatoris XV. aerae noſtrae XXIX. non Dei Filium in crucem actum; ſed Joannem Verbi praeconem eximium a Deo vocatum exhibet, capite tertio? Enimvero Annus ille XV. non Imperii Auguſtei, ut verba praeferunt, ſed obſcurae cujuſdam epochae Proconſularis, res eſt infinitis patens difficultatibus, & incerta: incerta autem? immo vero (quod pace eruditiſſimorum virorum iterum dictum ſit, ſi candide quod ſentias fateri liceat, ſine cujuſquam offenſione) conficta, & a veritate, ut videtur, aliena.

XLI. Sudat multum ac fruſtra laborat Pagius ut exemplum aliquod prodat fidemque faciat uſurpatae Proconſularis epochae; atque huc plurima ſpectant eorum quae adnotat duobus prioribus Eccleſiae Seculis. Diu hoc ſaxum volvit, neque proficit hilum vir ceteroqui ſapientiſſimus, & cujus egregia ſcripta maximo nobis adjumento fuerunt: quod argumento eſt patrocinium malae cauſae ab eo fuiſſe ſuſceptum. Profert (ad An. Chr. 81. n. 3.) Graecum Nummum, apud Occonem cum epigraphe ΑΥΤ. ΤΙΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΣΕΒ. ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ ΙΑ *Imp. Titi Caeſaris Veſpaſiani Aug. Anno Novo Sacro XI.* deceptoſque ait eruditos viros qui negant annos Tiberii, Titi, aliorumque Imperii Collegarum, fuiſſe numeratos, ſubjicitque, *haec porro epocha non niſi in Veſpaſiani, Titi, Domitiani, & Nervae nummis occurrit*. Atqui hoc ipſum nos admonet cohibendam potius aſſenſionem, quod res non ſit ſatis explorate cognita. Veterum Scriptorum nullus annos Tiberiani regni enumeravit niſi ab Auguſti morte: nullus alios recenſuit quam Auguſteos; & Clemens quoque Stromateus plures adjiciens, ab ejuſdem Auguſti obitu illos repetit. Alios quoſvis Proconſulares vocatos ignorant omnes; & quamvis labore improbo vetera monumenta excuſſerint, nihil hactenus expiſcati ſunt quod eorum cauſae opituletur. Hoc autem ex antiquorum potius libris quam nummis eruendum erat, cum illuſtrando Divino Scriptori Lucae, Annoque Tiberii Quintodecimo operam dent Chronographi.

XLII. Quidſi reponat quiſpiam repeti hanc epocham annumque ſacrum ab exciſis Judaeorum viribus, Regia eorum urbe temploque deletis, cum Judaica Religio Ethnicis foret foeda ſuperſtitio, & quando-

que

que purus putus Atheiſmus ob indictum ab Hebraeis bellum tot confictis Numinibus, quae in finitimis civitatibus, Syria, Aſia omni, AEgypto, Graecia, & in Urbe maximopere colebantur? Ajo igitur a capta Judaea duci poſſe Annum XI. in Titi Numiſmate ſpectatum, vocarique ea de cauſa annos hoſce ſacros; quamvis ſacrum non ſemper ad religiones revocetur. Alia fortaſſe fuerit aliorum nummorum epocha ſacra: in Titi nummo Titi annos exhiberi ejuſve Imperii cujuſvis ante Auguſteum collati, id vero pernego. Nam oportuit primum, quod fruſtra conatur Pagius (ad An. Chr. 71.) oſtendere collatum fuiſſe Tito Imperium Proconſulare ante Idus Septembris, Anno Chr. 71. ut ſub mortem attigiſſe dicatur annum ejuſmodi XI. Et tamen idem Pagius Anno Chr. 71. n. 3. omnem nervum intendens ut Imperio ſuo Proconſulari Titum augeat, haec fateri compellitur: *De Imperio Proconſulari eidem collato, neque Svetonius, neque alius Hiſtoriae Auguſtae Scriptor, expreſſis verbis agit*. Quamquam autem haec minus comperta ſunt, diem quoque audet praeſtituere quo Imperii Collega renuntietur, videlicet V. Kal. Apriles. Sed aliud in graviſſima tantique momenti controverſia deſideramus, quam conjecturas quaſdam allatas a doctiſſimo viro: aliquid dicendum fuit apertius clariuſque pro Annis Proconſularibus Tiberii, cum in Tiberio hujuſmodi epocha nuſquam occurrat: in Tito non adhuc exhibeatur.

XLIII. Longe clariora ſunt quae afferuntur pro ſolius, veri, ſupremi, & Auguſtei Imperii epocha, quam unam Hiſtorici norunt. Tacitus L. 1. Annal. ait de duobus Sextis Conſulibus An. Chr. XIV. Auguſti poſtremo: *Sextus Pompejus, & Sextus Apulejus Coſ. primi in verba Tiberii Caeſaris juravere*: Et poſt Auguſti pariter fata; *primum facinus novi Principatus fuit Poſthumi Agrippae caedes*, ut alia huc ſpectantia mittam. Svetonius pariter in Tiberio *exceſſum* inquit *Auguſti non prius palam fecit quam Agrippa juvene interemto ..... Illatum deinde Auguſti teſtamentum ... Tandem quaſi coactus, & querens miſeram & oneroſam injungi ſibi ſervitutem, recepit Imperium*; ne moleſtus ſim plura ex Vellejo ceteriſque congerens nota cuivis & tralatitia. Huc accedit Spartianum in Hadriano, & alibi teſtari non Tiberium, non Titum, non alios cum Auguſtis, ſed M. Aurelium Philoſophum, & L. Verum eos fuiſſe, *qui duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernaverunt*. Antequam Caeſares ſupremo aucti Imperio Auguſti appellarentur nonniſi extra Urbis pomoeria Proconſulari illa auctoritate praediti erant. Quo fit

ut anni Imperii Auguſtorum a collato Proconſulari Imperio longe inferiore non ſunt repetendi, neque nova epocha, invitis ſuperioris aetatis Hiſtoricis, invehenda; quicquid conetur Pagius eamdem ſaepius incudem tundens, & chorda ſemper oberrans eadem. Obſecro obteſtorque Lectorem, ut partium ſtudiis tantiſper ſepoſitis, ejus opinionem ſedulo expendat, videatque an poſſit conſiſtere. Certe quae ex Titi numiſmate attulit pro vindicanda Proconſulari epocha, nulla ratione comparanda ſunt cum locis Veterum Scriptorum funditus eam convellentium.

XLIV. Cum a probe conſtituto Anno XV. Tiberii Imp. Evangelica Chronotaxis lucem mutuetur, permagni intereſt inquirere in quem aerae noſtrae vulgaris annum inciderit: Auguſtus e vita exceſſit An. Chr. XIV. die 19. Auguſti. Compertum eſt I.° ab eo die uſque ad 19. Auguſti ſequentis An. Chr. XV. labi primum Tiberii Imperatoris annum; & a 19. Auguſti An. Chr. XXVIII. uſque ad 19. Auguſti An. Chr. XXIX. fluere Quintumdecimum ejuſdem Tiberii. II.° more ab illuſtribus Scriptoribus uſurpato, dici etiam poſſe Annum primum hujus Imperatoris complecti tantum reliquos Auguſti dies, & ſequentes menſes Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem Anni Chriſti XIV. & Kalendis Januarii An. Chr. XV. inchoari annum ſecundum hujuſmodi Imperii; quia licet annus primus abſolutus atque completus non fuerit ſpectato Principatus exordio, tamen exactus eſt annus ille popularis atque civilis, & Kalendis hiſce Januariis inchoatur novus annus popularis atque civilis: atque hac ſupputandi ratione, Annus XV. Tiberii erit idem prorſus a capite ad calcem, atque Annus Chr. XXVIII. Compertum pariter eſt III.° ſpectato uſu Syrorum aliorumque Orientalium auſpicandi annum, non a Kalendis Januariis, ſed ab Autumno, circa Octobris initium, enumeratoque pro anno primo (minime completo) tempore interjecto inter primordia regni, & initium Octobris annique civilis, & popularis illorum regionum, Primum Annum Tiberii non excurrere niſi uſque ad Kalendas Octobres Anni Chriſti XIV. labi vero ſecundum a Kalendis fere Octobris Anni Chriſti XIV. uſque ad Kal. Octobr. Anni Chr. XV. atque Annum Quintumdecimum Tiberii fluere hac methodo ab Octobri Anni Chr. XXVII. ad Octobrem Anni Chr. XXVIII. Qui in re Chronologica verſati ſunt, & antiqua variorum populorum monumenta conſuluerunt, haec inficiari non audebunt. Commodum autem incidunt in idem temporis intervallum ab Autumno Anni Chr. XXVII. ad Autumnum Anni Chr. XXVIII. Pilatus

Judaeae Procurator, Annus Quadrageſimus ſextus Templi ab Herode inſtaurati, & Quintus decimus Tiberii Caeſaris, quorum Evangeliſtae meminerunt: ac niſi tria haec evertantur, Chronotaxis noſtra conſiſtet.

XLV. De adventu Pilati, & ſacrae aedis Jeroſolymitanae aedificatione ſatis egimus: adjicimus nonnulla de Imperatorum annis eorumque numero aucto propter annos minime completos in aliorum cenſum venientes, & propter ſecundum ceteroſque ab exordio novi anni civilis, & popularis ductos. Galba Imperator Neronis ſucceſſor, poſtquam regnaverat a Neronis nece, ſive die 9. Junii An. Chr. 68. Menſes ſeptem, dieſque nonnullos, obtruncatur die 15. Januarii An. Chr. 69. Imperaverat autem Menſes novem, & dies aliquot ab eo tempore quo primum in Hiſpania Imperator eſt appellatus, vivente Nerone, videlicet a die 3. Aprilis. Nulla autem ratione ſecundum Imperii annum delibavit. Ita Pagius quicum maxime nobis res eſt (ad Ann. Chr. 69.) Nihilominus complures Graeci nummi Galbae, Alexandriae percuſſi, praeferunt annum ſecundum L. B. quod AEgyptii poſt Auguſtum Caeſarem a Thoth fixo die 29. Auguſti civilem annum auſpicantes, priores Galbae menſes, pauciores tribus a Neronis interitu, ante diem 29. Auguſti, pro anno illius primo numeraverint; atque ſequentes ad alium annum AEgyptiacum ſpectantes, pro alio, ſive ſecundo. Haec eſt ejuſdem Cl. Pagii ſententia de hiſce Galbae Numiſmatis: poſt verba enim Dionis L. 51. *Diem quo capta fuit Alexandria feſtum eſſe cenſuerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium ſumendum*; animadvertit quod *quando mors Principum ſub finem anni nuntiabatur, ſtatim nummi in honorem ſucceſſoris cudebantur cum L. A, ideſt Anno I. & poſt aliquot dies, novo Anno Alexandrino inchoante die 29. Auguſti, in nummis exprimebatur Annus II. a die 29. Auguſti deſumtus.*

XLVI. Praeterea Hadrianus Imperator inauguratus eſt Anno Chr. 117. die 10. Auguſti, quo Trajanus obiit; ejuſque ſupremus dies fuit 10. Julii An. Chr. 138. cum imperaſſet Annos XX. Menſes XI. Quamvis autem viceſimum ſecundum annum Imperii non attigerit, in AEgyptiacis Hadriani nummis Alexandriae percuſſis idem contingit atque in laudatis Galbae Imp. itaut quidam praeferant annum Hadriani XXII. L. CB Pagius quicum manus conſerimus ſuppetias veniet (ad An. Chr. 69.) *Sic Trajano mortuo, & Hadriano in locum ejus ſubrogato, ac Alexandriae agnito Imperatore..... Nummi percuſſi cum*

L. A

L. A & deinde die 29. Auguſti cum L. B ita ut ultimus hujus Imperatoris annus in nummis AEgyptiacis praeferat L.CB ideſt Annum XXII. quod nonniſi in nummis Alexandrinis occurrit. Idem eſt, quod pertinet ad civilis anni initium, AEgyptiis 29. Auguſti, & Orientalibus Autumnus, Octobri fere ineunte: videlicet quod nobis eſt primus Januarii, novique civilis annis dies.

XLVII. Sed Scriptorum major fortaſſe habenda ratio quam numiſmatum, quando uſurpati ab Hiſtoricis anni expenduntur. Adnotarunt plerique conſimilem ſupputandi annos Principum rationem non in unis nummis ſpectari, verum in Canone etiam AEgyptiaco Ptolomaei, ubi ut ait Pagius (ad An. Chr.69. n.3.) *anni regum non a vero die eorum natali, ſed a Thoth vago, poſtea pro uſu civili, Auguſto regnante, diei 29. Auguſti alligato, numerantur*. Svetonius Scriptor & ipſe Chriſtiani Seculi II. in Nerone, litteris commendavit annum diemque natalem Neronis ejuſdem: *Nero natus eſt Antii poſt IX. menſes quam Tiberius exceſſit XVIII. Kal. Januarii*. Quapropter ſub finem An. Chr. 37. die 15. Decembris in lucem prodiit; cumque Anno Chr. 54. uſque ad diem 15. Decembris excurreret annus aetatis illius XVII. eoque anno, die 13. Octobris Imperator ſit renuntiatus, recte Svetonius ſibi conſtans ait, *ſeptemdecim natus annos .... Imperator conſalutatus*. Flagitioſiſſimus Princeps die 9. Junii An. Chr. 68. *obiit* inquit Svetonius inibi *ſecundo, & trigeſimo aetatis anno*. Labebatur cum Nero occidit aetatis ejus annus XXXI. uſque ad diem 15. Decembris; nec Junius Menſis Neroni ſupremus potuit unquam incurrere in annum aetatis XXXII. niſi ſeptemdecim dies Decembris ejus Anni, quo natus eſt Nero, pro anno numerentur, & Kalendis Januariis ſequentis Anni Chr. 38. cum novo anno civili Romanorum novus inchoetur atque ſecundus aetatis Neronis.

XLVIII. Rem Pagius putavit (ad An. Chr. 54.) *Explicandus Svetonius de anno aetatis XXXII. utrimque incompleto, itaut ultimos dies menſis Decembris Anni Chr. 37. pro anno integro numeraverit, & ultimum etiam aetatis annum, licet incompletum, in ſummam contulerit; quod ab aliis etiam Hiſtoricis non raro factum in hoc Opere obſervabimus*. En maxime timendum noſtrorum adverſariorum teſtem locupletem, nobis opitulantem: fatetur ſiquidem morem ſaepius uſitatum ſcriptoribus fuiſſe, ab initio anni civilis ſecundum annum arceſſere, ita ut dies quamquam pauciſſimi antea exacti pertinerent ad priorem annum eumque conſtituerent. Cenſuit Onuphrius Panvinius in

Fa-

Faſtis caſtigandum eſſe Svetonii locum, ne auctor ſibi diſcolor videretur, expunctiſque verbis illis *poſt novem menſes quam Tiberius exceſſit*, legendum exiſtimavit *natus eſt ante novem menſes quam Tiberius exceſſit*: Anno videlicet Chr. 36. menſe Junio, cum Tiberii ſupremus dies fuerit 16. Martii An. Chr. 37. Qui ita rationes deputat aut non animadvertit Neroniani Principatus exordium conferri tunc in annum aetatis undeviceſimum, quem decimum ſeptimum vocat Svetonius, aut ea quoque verba delere cogitur, quemadmodum etiam quod in Svetonio legitur de menſe Decembri Neronis natali; & omnia demum corrumpere atque pervertere.

XLIX. Herodianus celeberrimus inter Graecos Seculi III. Hiſtoricus, ſaepius hac methodo eſt uſus, ut notum eruditis viris, Pagio maxime ita de illo loquenti (ad An. Chr. 246. nu. 5.) *Praeterea Herodianus cum de annis quibus Imperatores regnarunt loquitur, non annos Imperii, ſed annos Julianos, & utrimque incompletos, pro completis de more numerat*. Exemplo Alexandri, & Caracallae Impp. id cum eodem Cl.V. illuſtratur. Alexander Imperium capeſſit Anno Chr. 222. die 6. Martii, & interficitur, Maximino jubente, Anno Chr. 235. die 14. Martii, cum regnaſſet Annos XIII. Dies IX. Sed Herodianus quatuordecim Imperii annos eidem tribuit Lib. 6. occiſumque prodit βασιλεύσαντα ἔτεσι τέσσαρες καίδεκα. Idem in limine Libri 7. ita lectorem alloquitur: *qualem ſe geſſerit Alexander quatuordecim annorum imperio, & quem vitae finem habuerit ſuperiore volumine expoſuimus*. Non poteſt hujuſmodi numerus iniri, niſi Anno Chr. 223. Kalendis Januariis, cum anno civili inchoetur alter annus Alexandri, prioribus decem fere menſibus pro primo Imperii anno ſumtis, pro poſtremo vero, aut quartodecimo duobus menſibus, nonnulliſque diebus.

L. Antoninus autem Caracalla ſolus Annos V. imperavit, & menſem fere, cum poſt Severi obitum Geta germanus frater ab eo crudeliter necatus fuerit An. Chr. 212. circa menſem Martium; ipſe vero Caracalla occiſus ſit An. Chr. 217. die 8. Aprilis, ſed Herodianus, tempus, inquit, omne quo ſolus regnavit, ſine parente germanoque, ſexennio abſolvitur: πᾶς δὲ ὁ χρόνος ἐν ᾧ μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἀδελφοῦ ἐν ἓξ ἔτεσι συνετελέσθη. Idem prorſus hic uſuvenit quod circa Alexandri annos adnotavimus. Non leve auctoritatis pondus accedit ex doctiſſimorum hominum ſententia; arbitrantur enim recte Herodiani morem in colligendis Imperatorum annis Pagio obſervatum.

Suffi-

Sufficiat in medium protuliſſe verba U. C. J. Vignolii ex Diſſertatione 2. Apologetica de Anno primo Imperii Severi Alexandri Auguſti cap. 10. *Herodianus quemadmodum obſervo a Kalendis Januariis cum anno civili Imperatorum annos enumerat, quod ex ſuppoſita Tabula, in qua ejus operis annos ipſos ſexaginta cum annis quos ſingulis Imperatoribus adſignat, ordine Chronologico contulimus, planum fiet*. Conjectis tantiſper in Vignolianam Herodiani Tabulam fient haec magis perſpicua.

LI. Alia praeterea validiſſima ratione U. Cl. Vignolius oculis plane demonſtrat Herodianum in Alexandri annis putandis, ab initio civilium annorum, ejuſdem regni tempus duxiſſe. Narrat Herodianus Alexandrum, exactis ſumma cum laude tredecim Imperii annis, quartodecimo in Meſopotamia cum Artaxerxe Perſarum Rege ſigna contuliſſe, tum Antiochiam ſe recepiſſe, & in Germaniam profectum eſſe, ubi Maximini opera interfectus fuerit: quae intra dies octo quos imperavit poſt annos regni tredecim a ſuſcepto Principatu peragi nunquam poterant: *Igitur cum ad hunc modum tredecim annos, quod quidem ad ſe adtineret, ſine querela cujuſquam Imperium gubernaſſet, ecce tibi quartodecimo anno, haud opinato, litterae e Syria Meſopotamiaque redditae a ducibus, in quibus ſcriptum eſſet Artaxerxen Regem Perſarum, &c.* τῷ δὲ τέσαρες καιδεκάτῳ ἔτει. An recte bellum Perſicum poſtremo anno hujus Imperatoris conſignetur non quaerimus; tantum annos Imperii Alexandro tributos expendimus, quos a ſuſcepto Principatu recenſeri non poſſe patet; qua quidem in re omnino ſibi Hiſtoricus praeſtantiſſimus conſtat, cum vel in limine Libri ſexti, & geſtorum Alexandri quatuordecim annorum hujuſmodi meminerit, quos poſtea identidem repetit: *Annis quatuordecim incruentum geſſit Imperium*.

LII. Plura huc non vacat congerere: opem nobis ferunt nummi ac Scriptores Graeci, & AEgyptii, immo Latini quoque, Ptolomaeus, Herodianus, Svetonius, a Thoth vago, vel fixo AEgyptiaci anni capite, vel a Kalendis Januariis, Romani initio, regnorum annos petentes. Atque hinc patet optime S. Lucam minime obluctantem, ejuſque Annum Quintumdecimum Imperii Tiberiani a nobis explicari Capite ſuperiore nu. 18. maxime cum ex canone Hebraeorum, & aliorum ſcriptorum uſu, exiguum tempus in Anni fine pro anno numeretur, quem canonem Voſſius, Petitus, Leuſdenus, & B. Lamius laudant. Hos inter *Jo: Leuſdenus* in *Philologo Hebraeo-Mixto* Diſſertat. 34. de

Anno

Anno & Sabbato Judaico Quaeſt. 2. ait *ſi Rex in Januario electus eſſet, in Martio incipiebat ſecundus annus regiminis*. Non licet verò amplius in quaeſtionem vocare an Autumnus exordium Anni popularis fuerit Antiochenis, ceteriſque Syris. Langius, cui vir eruditiſſimus acceſſerat, exiſtimavit annum Antiochenum verna tempeſtate & menſe Artemiſio ſive Majo, incoepiſſe, quod Noriſius in praeclaro Operé *de Epochis Syro-Macedonum* a veritate prorſus alienum oſtendit: ſed a quo Autumni menſe inchoandus ſit Antiochenorum annus, non una fuit hominum doctiſſimorum ſententia; cum Uſſerius primum menſem putaverit fuiſſe Gorpiaeum, ſive Septembrem, Scaliger cum Petavio atque Noriſio, quibus ſubſcribimus, Hyperberetaeum, ſive Octobrem fere Romanum; & Henricus Valeſius Dium, ſive Novembrem. Illud quoque conſtare putat Cardinalis Ampliſſimus *Epiſtola ad U. C. Antonium Pagium de Nummo Herodis Antipae* Judaeos ab antecedente Niſan vel Tisri, Vere vel Autumno, Principum annos collegiſſe quod Machabaeorum Libri confirmant. Quapropter S. Lucas Antiochenus habita non tam Judaici quam Syriaci moris ratione, potuit ab Autumno antecedente Tiberii annos computare; quod quidem illum feciſſe ſuadent allata hactenus rationum momenta. En verba Noriſii: *Haec difficultas nulla alia probabiliori ratione emolliri poteſt, quam admiſſâ Kepleri ſententia, quam veriſimilem cenſet etiam Petavius in Notis Epiphanianis ad Haereſim LI. Alogorum: nempe Judaeos ab antecedente Niſan, a quo annum legalem ordiebantur, annos quoque ſuorum Principum collegiſſe; uti annos exterorum Principum ab antecedenti Tisri numerabant, ut ex Hebraeorum monumentis docet Petitus L. 1. Eclog. Cronolog. cap. 12*: Tot inſignes doctrina Chronologica viri vix ullum dubitandi locum relinquunt.

LIII. Aptiſſimum profert exemplum Noriſius ex Lib. 14. Antiqu. Joſephi cap. 26. ubi tradit Herodem Magnum ex Senatus Conſulto regnum in Urbe obtinuiſſe *Olympiade centeſima octogeſima quarta C. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione Coſs.* Cum tamen explorata res ſit Autumno cadente Anni U. C. 714. Herodem Regem Romae appellatum, & antea eodem anno in aeſtivo plenilunio menſis Hecatombaeonis, abſolutam eſſe Olympiadem CLXXXIV. & inchoatam Olympiadem CLXXXV. *ne Joſephus* inquit Cardinalis Doctiſſimus *falſi arguatur, dicendus eſt initium regni Herodis, more patrio, ab antecedente verno menſe Niſan deduxiſſe*. Itaque ſcriptores, patrios quandoque mores uſurpantes, annos proleptice inchoant, eorumque ini-

N tium

tium conjungunt cum initio annorum qui variis in regionibus obtinent. Quemadmodum autem Annus U. C. 714. complectitur tum extremam partem Olympiadis CLXXXIV. tum priorem partem Olympiadis CLXXXV. ita Annus XXXVII. poſt Actiacam Victoriam, de quo egimus Capite I. hujus Diſſertationis vindicat ſibi tum poſtremam partem Anni U. C. 759. tum priorem plurimoſque menſes Anni U.C. 760. quapropter nil mirum ſi idem Joſephus ad aeram illam Actiacam ejuſque Annum XXXVII. animum advertens, alicubi Archelaum Principatu dejectum dixerit Anno Ethnarchiae nono, U. C. 759. alibi vero Anno Ethnarchiae Decimo U. C. 760. Unde intelligimus non eadem ſemper methodo initia annorum conſignari ab Orientalibus maxime Scriptoribus; & ex hac diverſa temporum ratione diſcrepantes ortas eſſe opiniones; praeſertim, ut vidimus de Pilati Actis differentes cum S. Epiphanio, quia exemplaria aut facile ab exſcriptoribus corrumpi potuerint quod notas numerorum ſpectat, vel ob ipſorum negligentiam & oſcitantiam, vel ob diverſam ſententiam altius in ipſorum animo inſculptam, quam unam dum veram putabant, auctoribus continuo affigebant: quod ſpectat, inquam, numeros; heic enim unam vel alteram lineolam litterulamve demtam, vel adjectam maxima temporum perturbatio conſequitur. Ceterum non ſolis Orientalibus fuit mos ejuſmodi: vidimus enim paulo ante nu. 47. & 48. idem uſuveniſſe Svetonio de Natali Neronis Anno agenti; ac ſeptemdecim tantum dies Decembris An. Chr. XXXVII. pro primo An. Neronis enumeratos; ut nemo miretur ſi Lucas Syrus Evangeliſtes dierum numerum duplo majorem pro Anno primo veri, & unici Auguſtei Imperii Tiberii poſuerit, & hac de cauſa auſpicetur Annum ejuſdem Imperii Quintumdecimum ab Octobri fere menſe Anni vulgaris epochae XXVII. qui Annus XV. hoc modo ſumtus excurrit uſque ad Autumnum ſequentis Anni vulg. XXVIII. in quem incurrit initio Januarii Chriſti Baptiſmus, & Vere Primum Paſcha, cum abſolveretur Annus XLVI. Herodianae Templi inſtaurationis. Porro idem *ab aliis etiam Hiſtoricis non raro factum* in egregio Opere Pagius obſervavit.

LIV. Schelſtratius tom. 1. *Antiquit. Eccleſ. Diſſert.* 1. *cap.* 5. pugnans auctoritate Veterum quorumdam ſcriptorum S Hieronymi maxime, omnem nervum intendit ut eliciat ex Annis XXV. Romanae Cathedrae S. Petri Apoſtolorum Principis, & ex Martyrio ejuſdem conſignando Anno XXXVII. a Paſſione J. Chriſti, Mortem Servatoris noſtri incidiſſe in Annum vulgaris aerae XXIX. Verum operam ludit. Nihil

hil ratum exploratumque profert, ſed ea de quibus variae circumferuntur veterum recentiorumque ſententiae : neque enim conſtat quo primum Imperatore rerum potito Romam profectus ſit Petrus, Claudione an Nerone, quod poſt erutum e veterum Bibliothecarum pluteis ubi deliteſcebat, Librum *de Mortibus Perſecutorum*, Seculo IV. ineunte conſcriptum, expendi paulo diligentius coepit. Baluzius, Pagius aliique complures eruditi viri cenſent Petri iter Romanum ſub Nerone Imp. conſignandum. Qui autem Claudio imperante Petrum arbitrantur Romam ſe contuliſſe, de anno adhuc certant. Atque idem de martyrio dicendum : nam tametſi Schelſtratius cum Pagio illud revocant ad Annum Chr. 65. Nerva, & Veſtino Coſ. Anno a Paſſione XXXVII. ſi ea duobus Geminis Conſulibus contigit Anno vulg. XXIX. S. Hieronymus, quem heic ducem ſequi velle videtur, ſerius Martyrium Petri conſignat ; quod omnes Schelſtratii rationes evertit.

LV. Neque multo felicius aliud in nos telum contorquet, videlicet ſupremum excidium Jeroſolymitanum conferendum in An. Chr. LXX. Tabula I. fig. 10. Etſi enim Clemens Alexandrinus L. 1. Stromatum, & Origenes Lib. 4. contra Celſum, inter Chriſti Servatoris mortem & Judaicam illam cladem interjiciunt annos XLII. Tab. IV fig. 3. Euſebius Caeſareenſis, & Auctor Chronici Alexandrini, Scriptores aliquanto quidem recentiores, graviſſimi tamen, quibus aſcultarunt alii, intervallum hujuſmodi XLII. Annorum, conſtituunt inter Annum, non Chriſti emortualem, ſed Tiberii Quintumdecimum doctrinaeque Evangelicae initium, & Jeroſolymitanam cladem. Conſulendus Joſephus Scaliger *Animadv. Euſebian.* ad Annum MMLXXXVI. qui de Sulpitii Severi pariter annis diſſerit. Pleraque in Chronotaxi noſtra longe melius explicantur, ut XLII. Annus a Chriſti Baptiſmo ad excidium Judaicum. Verum qui nititur ſuis Chronologicis rationibus Annos & intervalla quaevis metiri, nae is ſane lepidus homo eſt, exiſtimatque omnium Veterum unam eamdemque fuiſſe variis de rebus ſpatiiſque temporum ſententiam. Unam quidem fas eſt ſeligere quam veriſimiliorem putes, & antiquorum pleriſque probatam; nunquam tamen licebit eam omnibus adſcribere, eamque unam ubique intueri, quod plerique, quibus ſanum non eſt admodum ſinciput, faciunt. Nihil nunc adtinet dicere de Phlegontis Eclipſi, quam praeclari Scriptores, & de hiſce litteris optime meriti, illam putant quae Chriſto in Crucem acto contigit : Nam omnes ferme in ſua quiſque hypotheſi rectius cuncta ſe exponere jactitant, corruptaſque numerorum notas, ut Pagius, queritur. Nihil adjiciendum de cele-

berrimo Danielis vaticinio, & Hebdomadis LXX. perinde eſt enim conſtituere Annum Chriſti ſupremum XXIX. vulgarem, vel XXX. quod pertinet ad diuturnius illud intervallum Annorum XD. Nec quicquam addimus contra Natalem Alexandrum, Tillemontium, ceteroſque, & eorum Annum XXXIII. vulgaris aerae, quo putant Cruci ſuffixum Reparatorem humani generis die 3. Aprilis Feria 6. ſatis enim ſe jugulaſſe viſus eſt Doctiſſimus Natalis dum ſcripſit, *Hiſt. Eccleſiaſtic. Secul. 1. Diſſertat. 2. Quaeſt. 3. Anno 33. aerae vulgaris Paſſionem Chriſti aſſigunt Toſtatus, Onuphrius, Genebrardus, Cappellus, Uſſerius aliique inter recentiores eruditi, nullo, quod expreſſum ſit ac evidens, antiquitatis muniti ſuffragio.*

LVI. Majus negotium faceſſere videtur epocha Edeſſena Syriae a Schelſtratio ceteriſque laudata cum litteris Abgari ad Jeſum Chriſtum, & Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Annum ſupremum Servatoris tantum non evidenter oſtendere incidiſſe in Dionyſianum XXIX. ſiquidem nihil haberemus quo occurri poſſit telo huic multo validiori. Non enim revera conſtat ſuppoſititias eſſe Epiſtolas amoebaeas Abgari Edeſſeni Toparchae ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum; neque accedimus Eraſmo, Cano, Bellarmino, Natali Alexandro, Simonio, Dupinio, Graveſono, ceteriſque, eas veluti foetum ſuppoſitum exibilantibus. Longe melius de iis judicant Guilielmus Caveus, aliique complures. Majoris roboris rationes in medium proferendae erant, ut convelleretur vetus illud monumentum erutum ab Euſebio Caeſareenſi ex Tabulario Eccleſiae Edeſſenae, & e Syriaco ſermone Graece redditum. *Annus trecenteſimus quadrageſimus* (nam ex optimae notae MSS. Codicibus annum ejuſmodi recte Valeſius reſtituit) quo acta eſſe dicuntur quae huc ſpectant, eſt annus vulgaris aerae Chriſtianae partim XXVIII. partim XXIX. quemadmodum conſtat ex Noriſio conſignante epocham Seleucidarum Autumno An. ab U.C. 442. contra ac exiſtimaverat J. Harduinus. Et quidem ab Autumno anni XXVIII. uſque ad Autumnum ſequentem Anni XXIX. pluribus menſibus ante J. Chriſti mortem a nobis conſtitutam, fluebat Annus Edeſſenae epochae CCCXL. Verum aut Litterae tantum eo anno conſcriptae ſunt, aut ſi omnia acta dicantur eo anno, quo Chriſtus in Coelum pariter adſcenderit, & Thaddaeus Edeſſam conceſſerit; tunc arbitramur Edeſſenarum Tabularum Scriptorem, Seculo fortaſſe III. omnia ſimul in Tabulas retuliſſe, eademque temporis nota conſignaſſe, maxime quod ita ferret multorum de ſupremo Chriſti Anno ſententia. Euſebii locus H. E. L. 1. cap. ult.

a Va-

Digitized by Google

a Valeſio reſtitutus ita habet ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει. Ut ut haec ſint, longe certiora attulimus pro Chriſti Anno emortuali XXX. Dionyſiano.

LVII. Sed non tam facile inſignia hujuſmodi monumenta abjici patimur, quamquam non omnino res comperta eſt. Ut ſilentio praetereamus Darium Comitem in Epiſtola ad S. Auguſtinum data, litteras haſce amoebaeas memorantem, locupletes illorum teſtes ſunt duo graviſſimi Syri Scriptores, praeter Euſebium, Evagrius Scholaſticus Epiphanienſis ſuam ex probatae fidei monumentis Hiſtoriam concinnans, eoque vetuſtior S. Ephraem Edeſſenae Eccleſiae Diaconus, in Teſtamento quod fertur, Edeſſae ſuae hanc ipſam ob rem bene precatus. Frigent (quod pace tanti viri dictum ſit) rationum momenta quibus plus aequo fidit Natalis Alexander: nec eum juvat auctoritas S. Thomae & aliorum Chriſtum nihil ſcripſiſſe cenſentium; quod haec minime ſpectent pauciſſimas quaſdam voculas, ſed Libros ſub adſcito Servatoris noſtri nomine a circulatoribus, per ſummam impudentiam, vulgatos. Turpia pariter quaevis flagitia, dum exciperetur Trajanus Imp. in aula Edeſſena admiſſa, dedecent revera Chriſtianos Principes: Sed quid haec ad Abgari litteras tamdiu ante, Tiberio imperante, miſſas ad Jeſum? Neque nos quicquam de ſententia deterret latus canon de probandis improbandiſque libris a S. Gelaſio I. Rom. Pont. in Romana Synodo LXX. Epiſcoporum. Jamdiu eſt quod eruditi viri animadverterunt non idem eſſe *apocryphum*, & *pſeudepigraphum*. Rejiciuntur in Apocryphorum cenſum Opera quoque B. Clementis Alexandrini, & Tertulliani: an idcirco tantis viris ſuppoſita dixeris? Apocrypha vocata videntur Opera dubiae fidei, vel quod non conſtaret an ſub adſcitis Scriptorum quae praeferebant nominibus alienae merces venditarentur, vel quod interpolata fortaſſe fuerant, vel quod nonnulla aut a veritate abludere, aut ſubobſcura ſaltem videbantur, nec paſſim omnibus palamque in Eccleſia proponenda.

LVIII. Quando autem de Gelaſiano Decreto injecta eſt mentio ob epocham Edeſſenam, liceat paucis quaeſtionem celeberrimam adtingere. J. *Pearſonus in Vindiciis Ignatianis*, *Guil. Beveregius de Canon. Apoſtol. & Codice Eccleſiae Primitivae*, & *Guil. Caveus*, *Hiſt. Literar. Sec. V.* v. *Gelaſius*, recentioris Auctoris foetum Edictum illud eſſe contendunt; ſed injuria. Viri longe doctiſſimi Henricus Noriſius, Antonius Pagius, J. Mabillonus, & J Fontaninus de Antiquitatibus Hortae L. 2. cap. 3. Decretum Gelaſio I. R. P. egregie aſſeruerunt.

Vul-

Vulgatum fuiſſe ante Annum Chr. DL. contra Pearſonum, immo ante Annum DXX. intelligitur ex Epiſtola LXX. Hormiſdae ad Poſſeſſorem de Libris Fauſti Rejenſis. Sane Seculo VI. neminem fugiſſe facile quiſque conjiciat ex Iſidoro *de Viris Illuſtribus* c. 5. *ejus* (videlicet Probae Falconiae) *cento legitur inter apocryphas Scripturas inſertum*. Perperam igitur Caveus *fictum atque ſuppoſititium* dicit, prodiiſſeque Seculo tantum IX. ex Iſidori Mercatoris officina. Accedit, in Bibliotheca Vaticana, Fontanino adnotante, ad calcem Miſſalis Gallicani, quadratis litteris exarati, & a magno Thomaſio (Card. Ampliſſimo) immortalis memoriae viro, inter Codices Sacramentorum nongentis annis antiquiores editi extare Gelaſianum Decretum a Fontanino publici juris factum (Opere laudato, in Appendice Actorum Veterum pag. m. 317.) Dolemus tam facile a Criticis quibuſdam ob leviores conjecturas rejici vetera monumenta, litteras amoebaeas, de quibus egimus, non adeo contemnendas, & Gelaſianum Canonem, quem litterarum illarum occaſione vindicavimus, cum de eo injuria diſceptetur.

LIX. Plurima vir doctiſſimus datis ad me litteris adnotavit, quibus Ill. Blanchinii Syſtema prorſus convellitur, cui coeleſtes motus adverſantur: enimvero Anno vulg. XXVIII. Quartadecima Paſchalis Luna incidit in diem 29. Martii, & Feriam II. ac Quintadecima in diem 30. Martii ejuſdem, & Feriam III. quibus Blanchinianae rationes omnes conturbantur. Accedit Pilatum neque Anno vulg. XXIV. neque ſequenti Judaeae Procuratorem fuiſſe, quod jam compertum videtur, Conſulatumque Geminorum revocari ad Annum Chr. XXVIII. non poſſe, niſi e locis ſuis deturbentur plurimorum annorum Conſules, quemadmodum idem Blanchinius nititur, irrito tamen conatu: nam evertitur ea ratione non exigua pars Hiſtoriae atque Chronologiae optime conſtitutae, quippe quae veterum Scriptorum auctoritate confirmatur. Contra, Chronotaxis noſtra rationum validiſſimarum momentis (niſi fallimur) nititur, eique Coeleſtes motus maxime ſunt conſentanei: cum die 6. Aprilis Anni vulg. XXX. Quartadecima Luna menſis Niſan Paſchalis inciderit in Feriam V. & die 7. ejuſdem Aprilis, Quintadecima, ſive ſolemnitas Azymorum inciderit in Feriam VI. ut oportebat. Animadvertere autem operae pretium fuerit ita ſenſiſſe Veteres quoſdam magis accuratos (quorum meminit Clemens Alexandrinus L. 1. Stromatum, ut obſervavimus praeced. Capite num. XIX.) Paſſionem conferentes in Annum XVI. Tiberii Imp. & in diem 25. Pharmuthi, qui erat dies 7. Aprilis. Anno autem

autem vulgari XXIX. Luna Quartadecima Paſchalis, ſive menſis Niſan, incurrebat in diem 17. Aprilis, & XV. in diem 18. ejuſdem menſis, & Feriam II. quapropter non potuit eſſe Annus Emortualis Chriſti; & dies 25. Martii non pertinebat ad primum, ſed ad poſtremum Anni menſem: vernum autem aequinoctium Anno vulgari XXIX. contigit die 23. Martii; neque ullus inter Aſtronomos id inficiatur: & aliquot ante ejuſmodi aequinoctium diebus Luna XIV. & XV. contigerat.

LX. Quoniam vero plerique Veterum contendunt in eumdem diem atque menſem incidiſſe J. Chriſti Incarnationem & Mortem; adnotandum eſt eos a veritate non adeo abhorrere, ut quibuſdam videtur rem penitius minime ſcrutantibus. Sumtis diebus proleptice, nullaque habita depravationum anni ratione, Anno Juliano 41. Urb. Cond. 749. incidit in diem 24. Martii, & Feriam VI. Solemnitas Azymorum; quo tempore, Eccleſiaſtico more, peragitur a nobis feſtus dies Evangeliſmi Deiparae, & Incarnationis Filii Dei. Itaque eodem propemodum tempore, & Conceptus eſt J. Chriſtus, & Mortuus, videlicet Feria VI. & ſolemni Azymorum die, ac Luna XV. Menſis Niſan. Atque hac ratione vere illi ſcripſerunt eodem menſe atque die, utrumque Divini Servatoris myſterium contigiſſe. Eodem igitur tempore, quo primum coeleſte lumen in Oriente Magorum oculos perſtrinxit, exactis triginta quatuor Annis Vitae Sanctiſſime actae, Sol luminis expers, Coeli Orbiſque Dominum atque Reparatorem ſupplicio pro nobis affectum mori teſtatus eſt. Omnia ſibi conſtant, quod argumento eſt, vel prorſus rem ita ſe habere, ut contendimus in hac Diſſertatione, vel vix quicquam veriſimilius afferri potuiſſe.

Finis Diſſertationis de Annis Jeſu Chriſti.

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE VTRIVSQVE

PHILIPPI AUGUSTI

RELIGIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

T A B U L A
E O R U M
Quæ hoc Opus Complectitur.

PRAEFATIO.	pag. v.
CHRONOLOGIA Brevior Imperii Philippei.	pag.IX.
TABULA PRIMA Taffiniana Ludorum Secularium.	pag.XI.
TABULA SECUNDA Ejuſdem Auctoris.	pag.XII.

CAPUT I. *Quae fuerit Veterum Scriptorum Sententia de utriuſque Philippi Auguſti Religione.* pag.2.

CAPUT II. *De Martyrum Actis, Euſebio Ceſareenſi, & S. J. Chryſoſtomo.* pag.8.

CAPUT III. *Philippus cum filio Annum, Ludoſque ſeculares celebrat: quantum id cum Chriſtiana Religione pugnet.* pag.15.

CAPUT IV. *Philippi Impp. nulla neceſſitate compulſi, ſed libentes volenteſque Annum Secularem celebrarunt. Tabulae duae Chronologicae breviores adijciuntur.* pag.26.

CAPUT V. *Neque Antoninus Pius Philippo praeivit Anno Urbis Cond.* 900. *Chr.* 147. *Seculares ludos celebrando; neque eos poſt Philippum edidit Honorius Chriſtianus Imperator, Anno U. C.* 1157. *Chr.* 404. pag.36.

CAPUT VI. *Alia contra Philippos afferuntur. De Perſecutione Alexandrina: De Philipporum Apotheoſi & moribus: Difficile ab Idololatria vindicari.* pag 43.

CAPUT VII. *De Philipporum Augg. Nummis.* pag.55.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

NOn injucundam lectu Diſſertationem hanc fore de utriuſque Philippi Auguſti Religione plane confidimus ; plura enim complectitur ſcitu digna, maxime quae Annum Ludoſque Seculares eorumque ſuperſtitionem ſpectant, ab Imperatoribus illis, ut compertum eſt, celebratos . Sed conſerendae ſunt manus cum doctiſſimis viris pro Philippis acerrime dimicantibus, ut eoſdem ab Ethnica labe atque Idololatria vindicent, & ad Chriſtiana ſacra quamquam invitos pertrahant. Horum non una eademque eſt ſententia: nam Ampliſſimus Cardinalis Baronius in Annalibus, *Romae, Anno Seculari, Chriſto nomen dediſſe cenſet Auguſtos noſtros; ſed Petrus Daniel Huetius in* Origenianis *antea arbitratur, & ſub Imperii initium, Philippum ſeniorem, ubi ubi ſacro Fonte fuerit expiatus Chriſtianam doctrinam complexum fuiſſe . Id vero Tillemontius minime probat, exiſtimans eum Chriſtianum prius quam Imperatorem fuiſſe . Miror autem Ill. Huetium & Tillemontium, ſubacto ingenio viros, hunc autem maxime tot praeſidiis inſtructum, & in Hiſtoria tam Eccleſiaſtica, quam Auguſta tanta cum laude verſatum, non obſervaſſe, abhorrere nimis ab Evangelica lege veraque in Deum pietate Secularia ſacra, immo fere quidquid novimus a Philippo geſtum antequam Caeſarea dignitate augeretur . Itaque quod pertinet ad Philipporum propugnatores atque haec ſententiarum divortia, palmam ceteris a Cardinali ſapientiſſimo praereptam putamus; niſi quis nutanti huic opinioni qualem qualem opem laturus, ſub Imperii potius & vitae finem ſeniorem Auguſtum ad meliorem frugem converſum diceret; quod multo magis locum ſibi vendicare poſſet in filio,* Saturnino *quoque a nonnullis vocato, puero duodecim tum annos nato, cujus nulla novimus ſcelera, tametſi haeſitaſſe illum quoque in Idololatriae luto ſatis exploratum videtur. Ac potuit quidem uterque*

que Divino lumine perfundi antequam obtruncaretur; verum nihil ſupereſt quod id prodat, cum plura Ethnicae contagionis lue infectos Auguſtos doceant, & patris praeterea flagitia ob oculos ponant. Philipporum cauſam non parum juvaret M. Otacilla *Severa prioris conjux, alterius parens, ubi conſtaret Chriſtianis ſacris Auguſtam initiatam fuiſſe: verum ex Origenis litteris quae miſſae ferebantur ad eamdem, id minime elicitur. Meminit autem Tillemontius in Animadverſionibus ad Caeſarum Hiſtoriam, Gruterianae in Urbe Inſcriptionis, ex qua illam quoque fabuloſa Romanorum Numina coluiſſe intelligimus; ita enim habet MATRI. DEUM. MAPCIA. OTACILIA. AUG. D. & Spanhemius L. 8. Numiſma exhibet, in quo ſpectatur flexis genibus ante aram, cum epigraphe PIETAS AUGUSTAE. Fortaſſe monumenta iſtiuſmodi minus ſincera eſſe reponent, qui ſupereſſe illa minime vellent. Ut ut haec ſe habeant, nihil occurrit in Philipporum Impp. Actis quod magis pugnet cum Hiſtoriae Auguſtae fide, quam Veronenſis Inſcriptio jure neglecta ab Onuphrio Panvinio praeſtantiſſimae Veronae ſuae, & Clariſſimae Auguſtinienſis Familiae ornamento: ANNO. CHRISTI. CCLIII. IMP. DIVUS. PHILIPPUS. SENIOR. VERONAE. ET. ROMAE. JUNIOR. A. SATELLITIBUS. INTERFICIUNTUR. Chriſtiana epocha recentiorem Auctorem oſtenderet cuivis e trivio Chronographo, ſed impedimento eſſe ſolet opinio altius infixa, quominus quae ceteroqui perſpicua ſunt videamus. Quod ſi Inſcriptionis Artifex eam pro vetuſta venditare voluit harum rerum imperitis, patebit non tantum aetas verum etiam fraus veteratoris. Scilicet vir minime retuſus uſurpat pro vulgari Chriſtiana aera, tot Seculorum uſu celebri, aliam quadriennio ante inchoandam a vero Chriſti Natali die, annove qui conſecutus eſt. Nam ſi vulgarem communemque epocham adhibeamus, incidunt ſuprema horum Caeſarum fata in Annum Chriſti CCXLVIIII. Si quis vero eſt qui ejuſmodi ſomnia magni aeſtimet, habeat ſibi eam Inſcriptionem cum Philippi ſui* Divi *vocati Apotheoſi, objiciatque tum nobis male conſutam fabulam pro ejus Chriſtiana pietate tuenda. Plurimos quidem Philippis favere novimus; ceterum par non eſt omnium auctoritas: quid enim, ut alios miſſos faciamus, de iis quae ante annos mille geſta ſunt reſcire potuit* Abul-Pharagius *Arabs populares ſuos Chriſtianos arbitratus? Neque etiam eorum qui Philippos execrantur eadem eſt ratio, & vis ſuffragiorum:*

rum: ſed Pomponium Laetum in Atheiſmi ſuſpicionem aliis de cauſis vocatum fuiſſe, non ſatis eſt ut ejus heic ſententiam reſcindere oporteat. Cum vero de Anno Ludiſque Secularibus maxime agatur; animadvertimus magnam hinc moleſtiam exhiberi Tillemontio ſtatuenti jam tum Caeſarem utrumque Chriſto nomen dediſſe. Longe melius Ill. Franciſcus Blanchinius *eorum Ethnicam ſuperſtitionem eo anno palam factam adnotavit in ſua Chronologia, Tom.* 2. *Anaſtaſii Vaticanis Salvionii typis excuſi An. Chr.* 1723. *pag.* CCVII. *ad Annum Chriſti* 247. Ludi hoc anno, & ſequenti Romae celebrati ab utroque Imp. Philippo, Patre & Filio, abunde comprobant eos nondum Chriſtianos fuiſſe. Vide Pagium ad hunc annum, & notas Pagii junioris infra a pag. 190. ad 192. *Ex utroque Pagio excerptae ſunt Adnotationes contra Philippos, ad S. Fabiani Rom. Pont. vitam, eodem tom.* 2. *ad quarum calcem haec Romani editores adjiciunt*: Adnotata hic ab utroque Pagio adverſus eos qui cum Euſebio admittunt baptiſmum utriuſque Philippi, num contrariae opinioni ſunt praeferenda, aliorum eſto judicium. Ea tantum de cauſa hic afferuntur ut oſtendatur ſilentium Bibliothecarii de converſione eorumdem Auguſtorum ad Chriſtum, non ſine momentis gravium rationum contigiſſe. Ceterum qui pro eorumdem baptiſmo ſentiunt, apud Ill. Huetium alioſque Auctores a Pagio indicatos, fundamenta invenient, & apud Ill. Ciampinum Tom. 1. Vet. Monument. cap. XVII. pag. 145. *Hinc Cl. Graveſonus nihil de hac re ſtatuere voluit, deſciſcens a Magiſtro ſuo Natali Alexandro*: ut ut ſit de hoc facto hiſtorico, quod multi Critici in dubium revocant, & praeſertim Antoninus Pagius, &c. *Tom.* 1. *Hiſtoriae Eccleſiaſt. Colloq.* 1. *pag.* 25. *editionis Romanae An. Chr.* 1717. *Quod ſi quis quaerat quoto Chriſtianae aerae, Urbiſque Conditae Anno, Secularia Sacra & ſpectacula exhibita ſint, reſpondemus conſtare editos fuiſſe ludos, vel Anno Chr.* 247. *vel* 248. *Annumque Urbis Conditae Milleſimum, verna tempeſtate Anni Chr.* 247. *ipſis Palilibus, videlicet die* XXI. *Aprilis inchoari, abſolvi autem eodem tempore, ſequenti Anno Chr.* 248. *ac tum ſequi Annum Urbis Primum ſupra Milleſimum, ad praeſcriptum Varronianae Urbis Epochae jam ab Auguſti ſaltem morte in publicis monumentis uſurpatae. Cumque aeſtate ederentur Ludi Seculares, & profano impioque ritu Sacra atque Trinoctia agerentur, circa menſem Julium, poſt meſſem, ut memoriae prodidit* Zo-

Zoſimus Lib. 2. *& cum Zoſimo eruditi viri plerique cenſent, maxime doctiſſimus Cardinalis* Noriſius, *aliud poſt Panvinium, ejuſdem civitatis atque familiae illuſtre ornamentum, Tom.* 2. *Oper. edit. Veron. An.* 1729. *in* Diſſertatione Chronologica de Votis Decennalibus, *cap.* 4. *col.* 1208. *multo veriſimilius videtur, eo tempore, Anno Chriſti* 247. *Urbis Cond.* 1000. *celebrari coeptum Annum Secularem, ut Pagius contendit: ſiquidem aeſtate Anni Chriſti* 248. *labebatur Primus poſt Milleſimum Urbis Romae Conditae. Porro non abhorret a veritate quod pleriſque probari video fere ſolidum annum tamquam ſacrum fuiſſe habitum, atque idcirco magnificentius Ludos, ſpectacula, variaque Sacra ſaepius peracta. Hinc factum ut Nummi Seculares Philippei Anno Chriſti* 248. *fere percuſſi fuerint, praeferantque* M. Julium Philippum Aug. III. & M. Jul. Philippum Aug. II. Conſules *eod. An. Chr.* 248. *Sed haec penitus alii ſcrutentur: nobis perinde eſt priore vel ſequente Anno editos Ludos. Quod pertinet ad* Petri Taffini Novam Chronologiam Ludorum Secularium (*cujus Tabulas damus*) *fallitur ille egregie conjiciens Primum Luſtrum a Servio Tullio Romanorum Rege conditum, in Annum Urbis Varronianum CCV. Tullii XXX. ut ſuis illinc epilogiſmis ſpecioſa quaedam portenta pandat de ſecundis Ludis Secularibus, ceteriſque. Conſulendus ejus Socius longe Doctior* Dionyſius Petavius *L.* 2. *de* Doctrina Temporum, *cap.* 77. *ubi Scaligerum & Panvinium exagitat, quorum tamen neuter tam a vero deflexit, quam Taffinus, & de Serviano Luſtro fuſius diſputat, quod revocat ad annos priores Servii ante decimum Regni, cum Taffinus Luſtrum conferat in XXX. Philippei Imperii brevem quamdam Chronologiam ſubjicimus ex Pagio, Tillemontio, Blanchinio, ceteriſque eruditis viris depromtam, Lectorum commodis conſulentes.*

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
BREVIOR
IMPERII PHILIPPEI.

Anno Chriſti 244. Urb. Cond. 997. Coſs. { *Peregrino* / *Fulvio AEmiliano*

M. Julius Philippus Arabs Praefectus Praetorio, Gordiano Imp. hujus nominis III. inſidias molitur, ac tandem palam Imperator inauguratur. Principio uterque, Gordianus & Philippus Impp. uno eodemque tempore praeſunt Reipublicae, & quilibet Leges condit hoc anno, menſibus Martio & Aprili Gordianus demum, Philippo jubente, obtruncatur, Princeps optimus, anno aetatis, ex Capitolino, XXII. Regni vero VII. ineunte. Philippus cum Sapore Perſarum Rege foedus init, Antiochiam ſe confert ante Paſcha, ex Tillemontio, quod celebratum eſt 14. die Aprilis, tum Romam. M. Julium Philippum filium ſeptennem puerum Caeſarem appellat. Senatus perlato nuntio de Gordiani nece, illum inter Deos refert.

Anno Chr. 245. U. C. 998. Coſs. { *M. Jul. Philippo Aug.* / *Titiano*

Hoc fere tempore Philippus in Arabia prope Boſram Philippopolim coloniam deducit. Priſcum fratrem praeficit exercitibus Syriacis, Severianum Socerum Moeſiae & Macedoniae militibus.

Anno Chr. 246. U. C. 999. Coſs. { *Brutio Praeſente* / *Nummio Albino*

Philippus bellum Perſis indicit compoſitum promiſſa reſtitutione Provinciarum.

An-

Anno Chr.247.U.C.999. uſq; ad Palilia. Coſs. *M.J. Philippo Aug.II.*
1000. a die Palilium. *M.J. Philippo Caeſare*

Philippus Junior Caeſar Auguſtea dignitate auctus, celebrat cum Patre Annum Secularem, Urbis Romae Conditae Milleſimum, Ludoſque Seculares pariter vocatos, hoc anno, ut Pagius cenſet, vel ſequenti, ut exiſtimat Petavius, vel utroque ut arbitratur Ill. Blanchinius.

Anno Chr.248.U.C.1000. uſq;ad Palilia. Coſs. *M.J.Philippo Aug.III.*
1001. poſt Palilia. *M.J. Philippo Aug.II.*

Hoc anno percuſſi plurimi Nummi exhibentes ea quae pertinent ad Annum Ludoſque Seculares. Perſecutio Alexandrina adverſus Chriſtianos. Scythae praedas agunt, contra quos mittitur Marinus qui eos fudit. Victoria Carpica. Carporum non longe ab Iſtro flumine variae fuerunt irruptiones in Romani Imperii provincias ſub diverſis Auguſtis; plura de illis habent Tillemontius, Cellarius in Geographia Antiqua, & Martinierus in Geographico Lexico. Marinus ab exercitu Imperator appellatus ineunte anno ſequenti interficitur. In Oriente Jotapianus qui novis rebus ſtudebat, facile debellatur.

Anno Chr. 249. U.C. 1002. Coſs. *F. Aemiliano II.*
Vettio Aquilino

Perſecutio Alexandrina graſſatur. Philippi Impp. interficiuntur circa menſem Julium Pater Veronae, Filius duodecim annos natus, Romae; & inter Divos relati ſunt. Imperaverant Annos V. ac menſes praeterea paucos. Quintus Trajanus Decius Imperator appellatus fuerat Eccleſiae hoſtis.

Digitized by Google

Tabula Prima ludorum Secularium ad mentem Petri Taffini ſuppoſita opinione Varronis de Anno Urbis conditae Olympiadis ſextae anno tertio ſub finem.

Primum luſtrum ſuppono inſtitutum a Rege Servio Tullio anno regni ſui 30. quod oſtendam agendo de ſecundis ludis Secularibus. Item ſuppono, ut ibidem dicam, Romanos edentes ſecundos ludos Seculares, ad primum luſtrum reſpexiſſe. Denique ſuppono annum 30. Servii Tullii incidere juxta Varronianam ſupputationem annorum Urbis conditae, in annum Urbis conditae 205.

Series Ludorum	Anni ab U. C. qui editi vel edendi erant.	Nota annum quo edi debuerunt ludi hac tabula ſignari, quia ex anno illo legitimo (licet omiſſi ſint) Chronologia ludorum ſingulis centum annis melius patet. Conſules ſub quibus editi.
Ludi I.	245.	P. Valerius Poplicola Titus Lucretius } Conſules.
II.	305.	L. Valerius Potitus M. Horatius Barbatus } Conſules.
3.	405.	Omiſſi fuerunt, cum eo anno edendi fuiſſent, cum Conſules eſſent hi: { C. Marcius Rutilius. T. Manlius Torquatus.
III.	505.	P. Claudius Pulcher C. Junius Pullus } Conſules.
IIII.	605.	L. Marcius Centorinus Marcus Manilius } Conſules.
5.	705.	Omiſſi fuerunt, cum eo anno fieri debuiſſent, cum Conſules eſſent hi: { C. Claudius Marcellus. L. Cornelius Lentulus.
V.	Extra ordinem editi an. 737.	Caeſar Auguſtus Imperator. Cajus Furnius Junius Silanus } Conſules.
VI.	800.	Claudius Caeſar Imperator. Claudius Caeſar IV. L. Vitellius III. } Conſules.
VII.	846. vel 841.	Domitianus Imperator. Domitianus XVI. Voluſius Saturninus } Conſules. (vel ſi anno 841. editi.) Domitianus XIV. Minutius Rufus } Coſs.
VIII.	900.	Antoninus Pius Imperator. M. Valerius Largus M. Valerius Meſſalinus } Conſules.
IX.	957.	L. Septimius Severus: M. Aurelius Antoninus Imper. Fabius Chilo M. Annius Libo } Conſules.
X.	1000.	Philippus Pater: Philippus Filius Imperatores. Pater III. Filius II. } Conſules.
XI.	Incertus annus forte facti anno 1016.	Gallienus Imperator. Conſules incerti, vel illi qui anno illo Urbis conditae. } Numius Albinus. Maximus Dexter.
11.	1057.	Omiſſi, cum ab editis ludis Secularibus a Severo Imperatore centum anni fluxiſſent, dum eſſent Conſules hi: } Diocletianus Aug. IX. Maximianus Aug. VII.
11.	1067.	Omiſſi cum ab editis ludis Secularibus a Severo Imperatore centum decem anni fluxiſſent, dum Conſules eſſent hi: Cejonius Rufus Annianus } Conſules.
XII.	1157.	Honorius Imperator VI. Ariſtaenetus } Conſules.

Tabula Secunda Taffiniana Ludorum Secularium juxta Fabii Pictoris Epocham Urbis Romae Conditae Olympiadis Octavae Anno Primo.

Primum Luſtrum inſtitutum ſuppono anno 30. Servii Tullii Romanorum Regis, quod oſtendam agendo de ſecundis Ludis Secularibus. Item ſuppono, ut ibidem dicam, Romanos edentes ſecundos ludos Seculares, ad primum Luſtrum reſpexiſſe. Denique ſuppono illum annum Tullii 30. cum juxta Varronianam ſupputationem incidat in annum Urb. Ro. Cond. 205. incidere juxta ſententiam Fabii Pictoris, qui annis quinque conditam Urbem Romanam ſerius ponit quam Varro, in annum Urbis conditae 200. quod manifeſtum eſt conſideranti.

Series Ludorum	A.V.C. quo editi vel edendi erant.	Conſules ſub quibus editi ludi juxta Fabii Pictoris opinionem.
Ludi I.	245. editi.	Publius Valerius Poplicola, Titus Lucretius — Conſules.
II.	300. editi.	Qui nam fuerint Conſules in illis Secularibus juxta hanc opinionem F. Pictoris, incertum eſt: potuit enim eoſdem ponere, quos Varro poſuit, incipiendo a Valerio Poplicola uſque ad Julium Caeſarem, ſicuti Thomas Lydyat exprimit illum eoſdem poſuiſſe ab Iulio Caeſare uſque ad Flavium Veſpaſian. in calce ſui Libri, cui nomen *Recenſio & explicatio argument. &c.* Potuit etiam a Varrone ſemper annis quinque differre, licet eoſdem cum illo Conſules poneret: nimirum numerando annum 200. cum Varro poſtea numeravit 205. & 300. cum Varro numeravit 305. & ſic de aliis. Suſpicor vero ſic eum feciſſe. Potuit etiam F. Pictor ponere Coſs. diverſos ab iis quos poſuit poſtea Varro, ſi ex Coſs. ſerie F. Pictor aliquos putavit omittendos, quos Varro poſtea non praetermiſit; aut aliquos inſeruerit, quos Varro omiſit. Nam de variis paribus Coſs. ambigi poteſt ante Auguſti tempora, quos aliqui addunt, aliqui omittunt; cum controverſa ſit iſtorum temporum Conſulum ſeries. Nos vero defectu Auctorum ſcire non poſſumus quam Fabius Pictor Coſs. ſeriem admiſerit uſque ad ſua tempora.
III.	400. omiſſi	
IV.	500. editi.	
V.	600. editi.	
VI.	700. omiſſi	
VII.	737. extra ordin. editi.	Caeſar Auguſtus Imperator.
		Cajus Furnius, Iunius Silanus — Conſules. Vel alii pro ſerie Conſulum, quam F. Pictor ſecutus fuiſſet, ſi vixiſſet.
		Adverte, amice Lector, reliquos ludos Seculares editos eo ordine quem in priore Tabula Chronologica repraeſentavi: ſed quia veroſimile eſt eos Imperatores qui annis Urbis conditae Secularibus eos ludos Seculares ediderunt, ad hanc epocham Fabii Pictoris reſpexiſſe, ut Claudius Imperator qui edidit anno 800. Antoninus Pius Imperator qui anno 900. Philippi Imperatores qui anno 1000. ut ex priore Tab. noſtra Chronol. patet; ideo etiam hic eorum ludos ordine referre viſum eſt, ludis Secularibus eorum Imperatorum praetermiſſis, qui eoſdem ediderunt, aut juxta Varronis, aut Verrii Flacci, ſupputationes de U.C. epocha.
VIII.	800.	Claudius Caeſar Imperator.
		Claudius Caeſar IV., L. Vitellius III. — Conſules.
IX.	900.	Antoninus Pius Imperator.
		M. Valerius Largus, M. Valerius Meſſalinus — Conſules.
X.	1000.	Philippus Pater, Philippus Filius Imperatores.
		Pater III., Filius II. — Conſules.
		Adverte etiam, amice Lector, eorum Imperatorum ludos Seculares qui in Tabula prima Chronologica a me exhibentur, atque hic omiſſi ſunt, ex Imperatorum libidine, non obſervato tempore legitimo, fuiſſe editos: ut patebit hanc Tabulam conſideranti: & cum illa comparanti.

Ex Collect. Graevii ſeu Theſauro Antiqu. Rom. t. 8. Ed. Venetae Paſqualii A. 1735. pag. 395.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE UTRIUSQUE

PHILIPPI AUGUSTI

RELIGIONE.

CAPUT I.

Quae fuerit Veterum Scriptorum Sententia de utriuſque Philippi Auguſti Religione.

I.

DE Philipporum Impp. qui Seculo III. Eccleſiae, rerum poſt Gordianos potiti ſunt, Religione acerrime certant eruditi viri; maxime vero de Philippo Patre diſceptatur, quod ex ejus pietate in Deum, vel ſuperſtitione, judicium ferendum ſit de filio cognomine, qui ſeptennis fere puer Caeſar nuncupatus eſt, & antequam ex ephebis exceſſiſſet, vix duodecim annos natus necatus. Philippum ab Idololatriae labe, poſtremis ſaltem ejus vitae annis, aſſerunt inter recentiores complures, quorum catalogum texuit Ill. Ciampinus in *Diſquiſitione de duobus Emblematibus in cimelio Card. Carpinei aſſervatis*, edita Romae An. Chr. 1691. Ita cenſent doctiſſimus Cardinalis Baronius (ad An. Chr. 246. & 249.) Bollandiani Hagiographi (ad diem 20. Januarii) Petrus Taffinus Audomarenſis S. J. de Anno & Ludis Secularibus, Huetius L. 1. Origenianorum cap. 3. Tillemontius in Hiſtoricis Imperatorum monumentis, & Adnotationibus de Philippo agens, Natalis Alexander, aliique ſexcenti, ex Heterodoxis etiam, ut Vetſteinius, & qui edita Diſſertatione Trajecti ad Rhenum An. Chr. 1692. fuſius haec perſecutus, eſt, ſed mala avi, ne plures congeram.

II. Contra non pauci, neque obſcuri nominis Scriptores, quibus accedimus, queruntur trahi Auguſtos invitos reluctanteſque ad Chriſtiana caſtra, & ſacro fonte expiari. Male ſi quis alius de Philippo me-

retur Pomponius Laetus, dum ait in Compend. Hiſt. Rom. illum Idololatram, ſub adſcito Chriſtiano nomine, Eccleſiae dolo malo & foeda hypocriſi fucum feciſſe: *Philippus vero homo Punica fraude deterior, qui ut ſcelera tegeret, cultum Chriſtiani nominis ſimulabat*. Nec magis ejus cauſam juvant illa J. Baptiſtae Egnatii, qui cadente Seculo XV. paulo poſt Laetum floruit: *Sunt qui a Chriſtiana pietate non abhorruiſſe Philippum tradunt, quorum teſtimonio hominis perfidia fidem abroget*. Hos duces ſequutus Joſephus Scaliger, ira in Caeſarem inflammatus, eum Araba latronem vocat, & maledictis inceſſit. Eadem eſt mens J. Andreae Boſii Lipſienſis *Exercitat.2. de Pontificatu Maximo Romanorum Imperatorum*, ne quid de Blondello, ceteriſque dicam. Petavio quoque Judice non dubito quin cauſa caderent Caeſares noſtri ſi expendatur caput 27. L.XI. de Doctr. Temporum, ubi de iiſdem Actiſque S. Pontii M. diſputat. Neque illis multum detuliſſe viſi ſunt Fleurius & Graveſonus in Hiſt. Eccleſiaſt. Sed egregie hanc ſpartam ornavit Cl. V. Antonius Pagius in Critic. Baron. ad An. Chr.244. cui ſuum adjecit calculum Ill. Franciſcus Blanchinius Praeſul tom.2. Anaſtaſii de Roman. Pontif. in Animadverſionibus ad S. Fabiani Vitam, quod praeclarum Opus Typis Vaticanis in Urbe edebatur a Salvionio An. Chr.1723. Ut ut haec ſe habeant, adhuc enim ſub Judice lis eſt, in confeſſo eſt apud omnes emunctae naris Scriptores, Philippos non palam Idololatriae repudium miſiſſe, ejuratoque profano Deorum cultu, Chriſto nomen dediſſe, ſed fortaſſe clanculum, ſemotiſque arbitris, quod operae pretium fuerit in anteceſſum animadvertiſſe.

III. Age vero quando de Imperatoribus illis, rebuſque Seculo III. Eccleſiae geſtis ſermo eſt, & qui nobis adverſantur Caeſarum vindices, ad Veteres jure provocant; horum teſtimonia ſcrutemur; turpe enim foret aut vadimonium deſerere, aut ejuſmodi teſtibus rei jamdiu geſtae poſthabitis, recentioribus minus idoneis tantummodo niti, atque jus ſuum perſequi. Prodit primus in aciem Euſebius Caeſareenſis haud iniquo in Philippum animo, quem longo agmine ſequuntur S. Hieronymus, Paulus Oroſius, Vincentius Lirinenſis, atque ingens turba Latinorum Graecorumque conſecutis ſeculis ſuperiorum veſtigiis inhaerens. Praetereundus non eſt Leontius Antiochenus Antiſtes medio Seculo IV. de quo ac Philippo haec habet Auctor Chronici Alexandrini Olympiade CCLVII. *Ex majorum porro relatione & hoc de S. Babyla ad illos pervenit, ut iis qui ante haec tempora vixere narravit*

Bea-

Beatus Leontius Antiochiae Epiſcopus : Hic Decius Sanctum Babylam, non ſolum quod Chriſtianorum Religionem profiteretur, interfecit, ſed & quod Imperatoris Philippi uxorem atque adeo ipſum Philippum utrumque Chriſtianum, ab aedis ſacrae ingreſſu arcere eſſet auſus propter perpetratum a Philippo crimen, quod ejuſmodi fuit. Philippus iſte junior, cum Praefecturam Praetorii imperante illius deceſſore Gordiano, gereret, commendatum ſibi ac ſuae tutelae datum a Gordiano filium, ipſo Gordiano Imperatore mortuo, interfecit, ac Imperium arripuit . Quid ſentiendum de hujuſmodi traditione ac fama non paucorum ſermonibus increbreſcente, elapſo a Philipporum nece ſeculo, patebit. Interea nemo non videt quanta hic peccaverit, ſolers ceteroqui non raro, Chronographus noſter, qui Gordiani tutelam commendat puero, qui reddere voces, certoque pede humum ſignare per aetatem non poterat, eumque Praetorio praeficit id aetatis, Beatumque vocat Leontium Arianarum partium hominem. Itaque animum minime deſpondemus. Ego vero auſim ſponſionem facere Euſebium fere auctorem habuiſſe quotquot aequiores Philippo fuerunt, ut in aliis ſexcentis ab eo mutuo acceptis uſuvenit. Cum vero is de Philippo ad meliorem frugem converſo addubitare viſus ſit, tota res vacillat & claudicat.

IV. Sane Euſebius id minime venditat tamquam certo & explorate cognitum, ſed hauſit ex incerto rumore & fama. En illius de Philippo verba ex Valeſii interpretatione Lib.6. H. E. cap.34. (luculentiſſimae editionis Cantabrigienſis An. Chr. 1720. pag.298.) *Hunc utpote Chriſtianum fama eſt in poſtrema Paſchae vigilia, precationum in Eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe: ſed Epiſcopum qui tunc Eccleſiae praeerat, non prius illi aditum praebuiſſe, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque qui humanitus lapſi fuerant, & in poenitentium ordine ſtabant, ſeſe adjunxiſſet. Quippe ob multa quae commiſerat crimina, numquam omnino ab Epiſcopo fuiſſet admiſſus, niſi id prius feciſſet. Et Imperator quidem libenter obtemperaſſe dicitur, ſincerumque ac religioſum affectum timoris Dei, operibus ipſis declaraſſe. Fama eſt* ait Hiſtoricus κατέχει λόγος, dicitur λέγεται. Nec vero umquam adprobabit nobis verſionem ſuam interpres, quod tanti viri pace dictum volumus : quandoquidem ſi huic fidem habemus Philippum *utpote Chriſtianum fama eſt* ſcelerum poenituiſſe, quaſi nulla de illius Religione in Deum ſuſpicio cuiquam oriri potuerit. Non ita Euſebius,

neque id ejus verba praeſeferunt, modo in Graecum textum oculi conjiciantur. Ait, hunc fama eſt Chriſtianum exiſtentem τοῦτον κατέχει λόγος Χριστιανὸν ὄντα, κ. τ. λ.

V. Dejecti ex hac arce adverſarii confugiunt ad Euſebii Chronicon praepoſtera methodo, ubi ad Annum Abrahami 2260. Philippus commendatur tamquam Chriſtianorum Imperatorum primus. Verum ex L.6. H. E. verbiſque in medium prolatis vidimus unde haec depromſerit, ac notum cuivis exigere velle Hiſtoriae Eccleſiaſticae Euſebianae Libros ad Chronici praeſcriptum, idem plane eſſe, atque regula Lesbia uti. Adnotandum praeterea; quando in omne latus ſe vertunt, ut Euſebio oſtendant aquam hic minime haeſiſſe, & Chronicon producunt, memorari inibi Seculares quoque ludos ab Imperatore magnificentiſſime exhibitos, quod nemo niſi in veterum lectione & Hiſtoria hoſpes ignorat quantum a Chriſti ſanctiſſimis legibus abhorreret. Itaque niſi interpolatorum manus acceſſerint, ut quidam conjiciunt, nec ſibi conſtat Euſebius, neque vero quem tuentur Philippus ſibi diſcolor, ac Religionis utriuſque, neutrius videlicet, ſectator; ſuoque gladio ejus propugnatores ſe jugulant. Supereſt Auctoris ejuſdem teſtimonium petitum ex Lib.4 de Vita Conſtantini c.52. ibi enim non auſus fortaſſe ob Philippum ſcribere Magnum Conſtantinum primum inter omnes Imperatores Sacro Fonte expiatum, obſervat primum fuiſſe qui in Chriſti Martyriis renatus ſit. Illinc tamen conſequi potius videtur, conſtare Philippum in Chriſti Martyriis Baptiſmo non fuiſſe perfuſum; an autem alibi haec contigerint, non plane compertum eſſe.

VI. AEgre ferent qui ſub auſpiciis Philipporum bellum nobis indicunt eripi ſibi Caeſareenſem Antiſtitem, dolebuntque peſſime, eo duce ſublato, disjici facile ceterorum aciem. Sed ita res habet; anceps haeſit Euſebius, quod alii arbitrabantur litterarum monumentis conſignavit, nuſquam ipſe ratum habuit, aut judicium ſuum interpoſuit. Ingens tamen malum eſt fama, & opinio minus veritati conſentanea, quae quo magis ſerpit eo majores acquirit vires; nec quae vulgus ſemel imbiberit evelli facile poſſunt, maxime ubi altas radices egerint. Adverſari nobis ajunt, Euſebio eodem teſte, & Vincentio Lirinenſi Origenem Philipporum aequalem; quandoquidem binas dedit litteras, ad Philippum videlicet, & ad Severam Auguſtam conjugem, ex quibus certior fieri poſſit moroſus quiſque diſceptator de Chriſtiana eorumdem Religione. Equidem Seculo V. Vincentius Lirinenſis in aureo ſuo Commonitorio I. Philippum Chriſtianum fuiſſe cenſet, & Epiſtolam

ad

ad eumdem ab Origene *Chriſtiani magiſterii auctoritate* conſcriptam. Quid tum? Agere de Chriſtianorum placitis, ea tueri, quempiam laudibus efferre, Chriſtianum quidem Scriptorem oſtendit, non illum ad quem litteras miſeris. Annon conſimili prorſus ratione ſe geſſerunt alii ex noſtratibus ante Origenem cum Ethnicis Imperatoribus, ut Juſtinus, & Melito in Apologiis ad Antoninum Pium, & M. Aurelium? Citius ex pumice aquam elicias quam ex litteris hiſce Caeſaris cum Origene in dogmate conſenſionem. Annon Juſtinus & ceteri verae Religionis ſtatores recte dici poſſunt *Chriſtiani magiſterii auctoritate* pro ſacris noſtris apologeticos libros concinnaſſe? Porro Euſebio vetuſtiori aliquid adjecit Vincentius, velint nolint qui eamdem cantilenam canunt. Scripſerat Caeſareenſis Antiſtes L.6. c.36. H.E. *fertur*; non vero *extat*: φέρεται δὲ αὐτοῦ καὶ πρὸς αὐτὸν βασιλέα Φίλιππον ἐπιστολὴ καὶ ἄλλη πρὸς τὴν τούτου γαμετὴν Σεβῆραν: ubi de *Chriſtiani magiſterii auctoritate* ne verbum quidem. Sed verſio quae praefert τὸ *extat*, & qui Euſebium obtorto utique collo in ſuas partes trahere conantur, eadem ſemper oberrant chorda. Num autem hujuſmodi litteras Origenes reapſe ſcripſerit, quidve complecterentur, aliis divinandum lubens relinquo.

VII. Qui conſecutis ſeculis Chriſtianae Religionis Philippi meminerunt, vel Euſebio morem gerentes, arbitrati dumtaxat ſunt quoſdam ita ſenſiſſe, quod palam teſtatur Seculo XII. J. Zonaras verbis illis κατ' ἐνίους, vel rem ſubobſcuram expendere neglexerunt, quo fit ut ex eorum multitudine non magnum auctoritatis pondus antiquioribus accedat. Fac tamen Euſebium ceteroſque haec veluti ex tripode pronuntiaſſe, haſtamne continuo ea de cauſa abjiciamus? Confugiamus ad veteres Scriptores: ſunto illi lapis Lydius; verum non una eademque eſt illorum ſententia, quique Philippos ex albo Chriſtianorum expungunt, nec pauci ſunt, nec ceteris minus illuſtres; nam a Conſtantino I. Chriſtiano Imperatore hanc ceteris palmam praereptam volunt. Principio Lactantius diſertiſſimus Criſpi Caeſaris filii Conſtantini M. praeceptor, qui Seculo IV. ineunte, quinquaginta poſt Imperium Philippi annis, florebat, Conſtantinum eumdem alloquens in prooemio *Divinarum Inſtitutionum*, ei gratulatur quod primus Romanorum Imperatorum, abjecto falſorum Numinum cultu, Chriſtum coluerit: *Quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, Majeſtatem Dei ſingularis ac veri, & cognoviſti,*

vi, *& honoraſti*. Conſtantinus igitur, non Philippus primus Idololatrarum inſanam ſuperſtitionem valere juſſit, atque immortali ſui nominis gloria Chriſtianis ſacris eſt initiatus.

VIII. Eadem eſt mens S. Ambroſii Mediolanenſis Antiſtitis in Oratione habita coram Gratiano Anno 395. in funere Theodoſii: *Adhaeret Conſtantino, cui licet baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*. Non me fugit Magdeburgenſes Centuriatores reiicere hanc Orationem tamquam pſeudepigrapham, & ſub adſcito tanti Praeſulis nomine a veteratoribus obtruſam. Hujuſmodi tamen Oratio, quae homines urit, genuinus eſt Ambroſii foetus, ut animadvertunt Monachi S. Mauri O. B. eruditi Operum Ambroſii editores; & Magdeburgenſes merito vapulant. Neque vero aliud cenſuit Sulpicius Severus Anno circ. 400. in Hiſtoria Sacra Lib. 2. *Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Chriſtianus fuit*. Idem legimus in Actis S. Pachomii Seculo IV. conſcriptis (Bolland. Collect. 14. Maii) capite 1. *Cum finem accepiſſet perſecutio, regnavit Conſtantinus M. Imperatorum Romanorum primus Chriſtianus*: Idem in Hiſtoria Theodoriti Cyri Epiſcopi doctiſſimi L. 5. ſub finem: *Ante Conſtantini Maximi principatum quotquot Romani Imperatores fuerunt adverſus pietatis cultores furere non deſtiterunt*. Scriptores alios in medium adducere ſuperſedeo: adnotaſſe ſufficiat Epiphanium Diaconum id in VII. Synodo Oecumenica compertum habuiſſe, cum ita Patres alloqueretur: *A temporibus iſtis*, videlicet a praedicatione Apoſtolorum, *uſque ad Conſtantinum Imperatorem qui primus ex Chriſtianis regnavit, tranſierunt anni quaſi trecenti, cum prius tyrannidem Pagani exercerent*. Huetius quique idem atque ille ſciſcunt in quaeſtione de qua agimus fatentur, Veterum plurimos Conſtantino vindicaſſe primum illum de exturbata e Principum ſolio Idololatria triumphum. Nihil attinet innumerabiles propemodum minorum gentium Scriptores, qui idem ſenſerunt, recenſere; ac par pro pari reddi facile hic poſſet Ill. Ciampino, Hiſtoriam concinnando eorum qui Conſtantino potius quam Philippis cauſam adjudicarunt ſeculis quae conſecuta ſunt. Sanctus Thomas Seculo XIII. celeberrimus, Opuſculo *de Regimine Principum* L. 3. cap. 16. non obſcure idem ſenſiſſe videtur. Et quidem dum alium Principem, ante Magnum hunc Imperatorem optime de Eccleſia meritum, ſuperiori Seculo Chri-

Chriſtianum exhibent, illum tamquam avem albam videre mihi ſemper ſum viſus.

IX. Crucem figeret nobis, nequid diſſimulemus, Dionyſius Alexandrinus, ac receptui canere nos cogeret, ſi nutanti Philippo opem ferret in Epiſtola ad Hermammonem, apud Euſebium H. E. L.7. c. 10. Nil tamen illinc extundi poteſt. Commendat verbis hiſce Dionyſius Valerianum ob pacem Eccleſiae datam Imperii initio: *Neque enim ullus ſuperiorum Principum, ne illi quidem ipſi qui palam Chriſtiani fuiſſe dicuntur, tanta humanitate & benevolentia noſtros complexus eſt, quantam ille prae ſe ferebat initio Principatus ſui*. Non ait Dionyſius Imperatores illos Chriſtianos extitiſſe, ſed dictos creditoſque fuiſſe, utique ob collata in Eccleſiam Chriſtique cultores beneficia, & quod leni clementique in Chriſtianos animo fuerint: *ὐδ᾽ οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι*. Fortaſſe ad Philippos digitum intendebat qui Chriſtianos minime vexarunt, ſuppliciiſve affecerunt, immo benevolentia proſecuti ſunt: fortaſſe de aliis loquitur qui Eccleſiae potius favere viſi ſunt, quam contra illam furere, & bacchari cum Nerone, & Domitiano. Maxime vero omnium celebrari potuit Severus Alexander, quo vix ullum reperias a ſacris noſtris minus abhorrentem. Enimvero Alexandri mater Mamaea femina religioſiſſima dicitur Euſebio H.E. L.6. c. 21. *Μαμαία γυνὴ θεοσεβεστάτη*, & Lampridio in Alexandro, *mulier ſancta* (quamquam ut paulo ad rem avidior, & ob domeſticas ſimultates non bene apud omnes audiat.) Quicquid id eſt Mamaea Antiochiae degens Origenem accerſiri juſſit deſiderio flagrans videndi audiendique ſapientiſſimum virum. Imagines Chriſti, & Abrahami in larario habuiſſe Alexandrum Imp. Lampridius tradit, qui praeterea plurimi eum feciſſe memorat quod maximopere praecipit Lex Evangelica: *Clamabat ſaepius quod a quibuſdam ſive Judaeis, ſive Chriſtianis, audierat, & tenebat; idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat*, QUOD TIBI NON VIS ALTERI NE FECERIS, *quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus praeſcribi juberet*.

X. Non igitur mirum ſi de Chriſto aris augendo excitandoque ei templo cogitavit Alexander, quamquam impedimento fuerint eumque a ſententia deterruerint veteratorum artes: *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri; quae hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadria-*

driani, quae ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis qui conſulentes ſacra repererunt omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda. Haec de Philippo vetuſtiora, & ſincera monumenta non produnt; ac praeclare cum eo agitur ſi Hadriano, Alexandro, & ceteris Imperatoribus Chriſtianis magis aequis ſimilis dicitur. Oſtendant qui nos oppugnant Philippum Alexandri tametſi Idololatrae veſtigia preſſiſſe, & coluiſſe Chriſtum atque Evangelicam legem, herbam porrigere parati ſumus: ſed ab Alexandri caſtis moribus, & a Chriſtiana Lege plurimis paraſangis illum diſtare, non levis eſt conjectura.

CAPUT II.

De Martyrum Actis, Euſebio Caeſareenſi, & S. J. Chryſoſtomo.

I. HUc ſpectant Acta S. Babylae M. Antiocheni Epiſcopi, apud Bolland. die 24. Januarii, & Acta S. Pontii M. apud eoſdem Hagiographos die 14. Maii. Siquidem nonnullis cum Huetio ea inſedit opinio, Philippum ſub Imperii initium Babylae ope Antiochiae poenitentis animi argumenta edidiſſe, & in ſolemni Chriſtiani populi conventu preces ad Deum fudiſſe, videlicet ut Euſebius narrat, in Paſchatis pervigilio, poſt nefaria flagitia antea patrata; ac Romae tandem a Fabiano Pontifice baptiſmo perfuſum fuiſſe: tametſi alii cum Actorum S. Pontii Scriptore pugnaciſſime contendunt in Urbe omnia contigiſſe, Anno ab ea condita Milleſimo, & Secularibus fere Ludis; cum antea neque Ethnicos ritus, neque Idola rejeciſſet, nec vero reſipiſcens, & homo frugi eſſet. *Sub ipſa porro Imperii ſui initia Chriſti doctrinam amplexum fuiſſe Philippum ex eo liquet, quod in coetum Chriſtianorum jam creatus Imperator recipi poſtulaverit Antiochiae, quo nonniſi poſt arreptum recens Imperium ſeſe uſquam contulit.* Ita U. Cl. Petrus Daniel Huetius, quem falli minime dubitamus.

II. Extant apud Bollandianos Acta triplicia S. Babylae: Verum tam priora, quae ceteris antecellere cenſet Tillemontius, quam reliqua, non Philippum memorant, ſed Numerianum, quadrageſimo poſt Philippos anno Imperio potitum. Hunc illotis manibus in Chriſtiana ſacra, Deique templum, irrumpere conatum, a Babyla forti magnoque animo, inſignique pietate Antiſtite libere objurgatum, atque idcirco in

in Babylam furentem, eumdemque obtruncari jubentem, produnt. Si qua eſt igitur hujuſmodi monumentorum fides, actum eſt de Philippo; neque ad eum pertinent quae de templo, precibus, & poenitentia ipſius, obſcura quadam traditione vulgata ſunt. Quod ſi Babylae duo Antiocheni Praeſules extiterunt, alter ſub Decio ſupplicio affectus, alter ſub Numeriano, ut non pauci Graecorum conjiciunt, & ſubdubitare quoque videntur in Prolegomenis qui Acta Sanctorum vulgarunt, quae de Philippo ferebantur, ad Numerianum, & recentiorem Babylam revocare opus erit: *Merito venire in mentem cuipiam poteſt duos fuiſſe Babylas Epiſcopos; & ut ſaepe alibi evenit, & paſſim obſervare licet, utriuſque in unum Acta eſſe conflata; cum alioquin prior ſub Decio in carcere extinctus ſit, poſterior ſub Numeriano ferro percuſſus occubuerit*. Ita eruditi Actorum Collectores. Ut ut haec ſe habeant, Acta id genus Sibyllae foliis magis obſcura, & impedita nuſquam Philippi nomen praeſeferunt, ſed Numeriani Ethnici Principis, ut omnes norunt. Aut igitur rejicienda, aut nobis potius favere dicenda ſunt.

III. Acta S. Pontii Romani qui aliquot poſt Philippos annis ſub Valeriano, & Gallieno pro Chriſto ſanguinem fudit plura complectuntur ſpectantia Philippum ad Chriſtianam Religionem ab Idololatria traductum ope Pontii, & Fabiani Sanctiſſimi Romani Pontificis: atque hoc telo inſtructi complures pro Caeſaribus dimicaturi belli ſignum extulerunt. Reponimus tamen nos ex albo Sanctorum Heroum non expungere Pontium celeberrimum Martyrem, quod religioni haberemus; ſed exiſtimare dumtaxat Acta quae circumferuntur, neque Pontii aetate conſcripta eſſe, neque omnino veritati conſentanea. Ecquis enim id non animadvertat, cum narrent non unos Philippos, ſed omnem propemodum Romanum populum Chriſtiano ritu initiatum fuiſſe, Idolis de eorum profanis aris deturbatis confractiſque, & templis ſolo aequatis? Annon haec aperte habentur in Actis? *Initio autem templum, quod magnum vocabant, ex juſſione Imperatorum arripientes S. Fabianus & beatiſſimus Pontius, ac confringentes omnia ejus ſculptilia, ſimul cum templo funditus everterunt; ita ut omnis populus ad notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti cum alacritate, & gaudio concurreret, & baptiſmatis unda perfuſi Domino benedicerent*. Ecquis tam praeclarum facinus, tantamque rem non clanculum ſed palam geſtam Seculo III. non videat pugnare cum omnium Seculorum monumentis, ex quibus conſtat longe ſerius exciſas radices

Ethnicae ſuperſtitionis, quae vix potuit deleri Conſtantini aliorumque Chriſtianorum Principum legibus?

IV. Itaque doctiſſimus Baronius lacinias aliquas Actis aſſutas credidit (ad An. Chr. 246.) ut quae dicuntur de templo funditus diruto, monetque ea in aliis S. Pontii Actis apud Mombritium deſiderari. Baronio accedit Godefridus Henſchenius, ſincera quidem Acta arbitratus, verum quod ſpectat ad *phraſim nonnihil amplificata a poſteris*, fateturque *grandiorem aliquam auxeſim inveniri ubi de templorum deſtructione, & populi Romani converſione ſub Philippis Chriſtianis Imperatoribus ſit mentio*. Ceterum cum Acta S. Pontii edita a Baluzio, & Bollandianis ad fidem Veterum Manuſcriptorum Codicum praeferant quae adjecta dicuntur a recentioribus, non eſt ſugillanda fides interpolatorum, ſed ipſe Scriptor, & Acta quae extant, alicubi ſaltem, nutare videntur, ut adnotarunt Pagius, Tillemontius, & Ill. Blanchinius. Non levis eſt conjectura accepiſſe nonnulla Actorum quae extant Scriptorem ab Oroſio, Seculo V. vel ſerius; nam Philippum hic commendans L. 7. Hiſt. cap. 20. ſcripſerat *aſcenſum fuiſſe in Capitolium, immolataſque ex more hoſtias nullus auctor oſtendit*: in Actis vero noſtris legimus cap. 2. de iiſdem Sacris Ludiſque Secularibus: *Et quidem ex die illa, & deinceps ſacrificia Idolorum declinantes, ſpectacula tantum pro concluſione milleſimi Anni qua Natalem Urbis celebrabant, fieri imperaverunt*. Fortaſſe ab Actis potius mutuatus aliqua Oroſius dici poſſit, ſi tam certo conſtaret de Auctoris eorumdem aetate quam de Oroſii tempore: Verum uter utri aliquid debeat, res eodem cadit.

V. A Babylae Actis de quibus egimus ne latum quidem unguem diſcedere S. J. Chryſoſtomum merito dixeris, Libro contra Gentiles, ubi S. Babylae Antiocheni Epiſcopi laudes perſequitur: etenim uno demto tyranni nomine, quem Numerianum Acta vocant, quod J. Chryſoſtomus ſilet, cetera fere eodem recidunt; atque ea de cauſa Graecorum Patrum diſertiſſimum huc conjecimus. Tyrannus, ſi Babylae Actis fides adjungenda, patrata nefaria caede Regii pueri pignoris loco a parente traditi, manibuſque ſanguine conſperſis, ſacrae aedi injuriam illaturus, in templum involat, Babylamque obſiſtentem, fruſtraque ſpe honorum illectum, caedi tandem jubet, qui cum vinculis illuſtris triumphi teſtibus condi deſiderat. Haec omnia de ſancto Antiſtite diſſerens J. Chryſoſtomus perſequitur, cui adeo cum Actis convenit, ut non tam ovum ovo, ac lac lacti ſit ſimile: quod Cl. Tillemontius

tius inficiari non eſt auſus. Idem ſentiunt J. Bollandus, & G. Henſchenius (Act. SS. 24. Januar. §. 2. n. 9.) *Sub Numeriano paſſum Babylam, praeter Acta triplicia quae & Chryſoſtomus magna ex parte retulit, omiſſo tamen tyranni nomine, tradunt Graeci*: Narrat igitur Imperatorem quemdam ad Chriſtianorum templum acceſſiſſe poſt Regium obſidem immaniter obtruncatum, injurias illatas, Babylam extremo ſupplicio affectum, & compedes cum Martyre conditos, quae neque Chriſtianum Principem deceant, neque in Philippum cadere poſſint, quo imperante Babylam occubuiſſe nuſquam legimus, tametſi non unum Babylam conſtitui oporteat.

VI. Ne veſtigium quidem Philippi in Chryſoſtomi libro comparet, nomen non prodit, de reſipiſcentia veraque in Deum Principis pietate ne verbum quidem facit; niſi forte Idololatria atque ſcelera perditi, & flagitioſiſſimi Eccleſiae hoſtis, poenitentis animi & Chriſtianae Religionis ſint argumenta. Ita de Imperatore illo Graecorum Patrum facile princeps: *Neque enim ipſi ad Imperatoris quidem emolumentum libertas profuit ..... Quaſi enim abunde ſatis ad impietatem non eſſet homicidium patraſſe, & fronte perfricta in Dei templum inſiliiſſe, ſic homicidio priori & alterum adjecit homicidium ..... Et erat profecto pueri caedes prior poſteriori miſerabilior; Babylae autem caedes poſterior priori ſceleſtior*. Deſinant ergo eruditi quidam viri J. Chryſoſtomum arceſſere quo nobis negotium faceſſant, fateanturque potius candide cum Tillemontio quaedam in eo adeo impedita eſſe, ut Delio indigeant natatore. Quod ad me pertinet Davus ſum, non Oedipus: vides tamen laterem lavare illos qui Praeſulem Sanctiſſimum pro Philippi Religione tuenda nobis obtrudunt.

VII. Haud quidem ſcio quomodo ex Euſebio, J. Chryſoſtomo, & vulgatis Babylae Actis orta ſit illorum ſententia, qui putant ſub Imperii initium Anno Chr. 244. Philippum Antiochiae in pervigilio Paſchatis, preces ad Deum fudiſſe in ſolemni Eccleſiae conventu, cum Poenitentibus, ob patrata ſcelera, maxime ob Gordianum Imp. nefarie, & crudeliter obtruncatum. Enimvero qui ita rationes deputant animadvertere debuerant Paſcha An. Chr. 244. incidiſſe in diem 14. Aprilis; Gordianum vero die 25. ejuſdem menſis non adhuc necatum fuiſſe, cum extet in Codice Juſtinianeo Lib. 6. Tit. 20. de *Collationibus* VI. Lex *Ea demum ab emancipatis fratribus*, *&c.* ab eo lata VII. Kal. Maii, Peregrino & AEmiliano Coſs. eodem videlicet An. Chr. 244. Bene autem ſapienterque adnotavit Cl. Pagius eos falli qui propter opinionem quam

 inju-

injuria tuentur, quemvis locum Scriptorum caſtigant ac torquent, legendumque putant, non VII. Kal. Maii, ut Lex Codicis praefert, ſed VII. Kal. Martii. Conſtat enim ex Nummis Gordianum ſeptimum Imperii annum attigiſſe, exeunte Aprili regnaſſe, ac recte Euſebium ſolidum Imperii ſexennium ei tribuere L.6. H. E. cap.34. ἔτεσι ὅλοις ἕξ.

VIII. Nihil attinet expendere Acta illa S. Domnini Martyris quae nobis obiicit Ill. Ciampinus. Favent reipſa Philippo, ſed ut daremus ſincera eſſe, antiqua non ſunt, certe totis centum poſt Philippum annis exarata fuiſſe idem ille locus prodit quem jactant: ſiquidem haec habent de Sancti Martyris lipſanis: *Reformata pace S. Eccleſiae per glorioſiſſimum Principem Conſtantinum, qui inter Auguſtos primus poſt Philippum Chriſtianus effectus eſt, Sanctorum Martyrum corpora glorioſiſſimis ſignis, & evidentibus coeperunt coruſcare miraculis*. Ita Boninus Mombritius, cujus veterem rariſſimamque editionem (tom. 2. fol.) conſului, copia mihi facta ab humaniſſimis Monachis Camaldulenſibus Florentini Coenobii S. M. Angelorum, ubi extat, ac plurimi aeſtimata fuit a Cl. Mabillono, qui propria manu quaedam in fronte illius operis adnotavit. Et quando de praeclara hac Mombritii editione agimus, non abs re erit adiicere Card. Baronium recte obſervaſſe, Acta quaedam S. Pontii Martyris non omnia de Romani populi converſione, tempore Philipporum, praeferre, quae in aliis leguntur: Mombritius autem laudatur in margine (ad An. Chr. 246. tom. 2. edit. Rom. typis Vaticanis, An. Chr. 1590.) Equidem S. Pontii M. Acta in praeclara hac Mombritii editione breviſſima ſunt, neque Philippi meminerunt. Initio Actorum poſt unum, vel alterum verbum de perſecutione Valeriani & Gallieni, ita Claudius Pontium alloquitur: *Tu es Pontius qui urbem Romam neſcio per quam ſeditionem perturbaſti; inſuper & priorum Principum mentes abalienaſti. Qui reſpondit, neminem turbavi, neque ſubverti, ſed ab errore Daemonum ad Deum converti. Cumque non poſſet ad ſacrificandum adduci, Praeſes juſſit omnia tormentorum genera praeparari*. Verbum non amplius additur, quod ad Philippum revocari quoquo modo poſſit. Ceterum nemo eſt qui non videat innui hic aliquid maximi momenti Romae palam geſtum Pontii & Philippi tempore; ac propterea magnam quamdam *auxeſim* hic quoque locum habere.

IX. Ceterum nequis nobiſcum expoſtulet quod minus ſincera arbitremur Acta quaedam Martyrum ad Philippum Imp. pertinentia, utut co-

eorum Auctores eadem aetate ſe floruiſſe glorientur, & quae ſpectaverant litteris mandaſſe; ecce tibi Acta S. Heliconidis Corinthiae Martyris, in quibus excitata a Philippo perſecutio adverſum Eccleſiam memoratur. Lucianus & Paulus qui Acta concinnarunt teſtantur ſe adfuiſſe Heliconidis Martyrio quod narrant. Martyrem hanc in Tabulas Eccleſiaſticas relatam novimus ex Romano Martyrologio die 28. Maii; & merito colimus: verum Acta Graece ſcripta, eruta ex M.S. Codice Laurentianae noſtrae Bibliothecae, atque edita in Act. SS. Bolland. 28. Maii, neque Papebrochius magni aeſtimat, neque ullus ſanae mentis probabit. Nonnulla illinc excerpta in medium proferre lubet, quandoquidem quae diximus egregie confirmant. *Prologus. Lucianus & Paulus cunctis qui ſunt in Aſia, & Phrygia, Ponto & Pamphilia ejuſdem nobiſcum fidei, e gentilibus vocatis Fratribus ſalutem..... dilectioni veſtrae communicanda in commentarios retulimus nos ipſius ſpectatores, & adminiſtri certaminis quod Martyr illa invicta peregit. Caput I. Heliconidis confeſſio, & tormenta ſub Perinio. Conſulibus Gordiano, & Philippo Auguſtis, cum in clariſſima urbe Theſſalonicenſi, atque in toto mundo adverſus Chriſtianos coorta eſſet perſecutio, per omnes Achaiae & Macedoniae praefecturas miſſa, ac propoſita fuere edicta, quae ut impuris ſordidiſque Idolis ſacrificia ab omnibus peragerentur hac ratione imperabant. Pii ac ſemper propugnatores Auguſti terrae mariſque Domini, Philippus & Gordianus Imperatores, omnibus Deorum cultoribus, & defenſoribus gratiam & ſalutem: Quoniam nonnulli reperiuntur qui terram univerſam, quae noſtra potenti dextera velut avium nidus continetur, factionibus commovent; eam ob rem noſtra hoc mandat Majeſtas, ut generis iſtius hominibus nec terra nec mare latebras ullas praebeat, ſed ad ſplendidiſſimum ſupremumque Imperii noſtri thronum adducantur manifeſti, & convenientem pertinaciae ſuae poenam tamdem perſolvant. Valete amantiſſimi ac genuini aeternorum, & immortalium Deorum cultores. Impia haec & nefanda edicta, celerrimis continuo nuntiis, in omnes partes delata, ingentem adverſus Chriſti Eccleſiam furorem in animis Ethnicorum excitarunt. Miſſus etiam fuit Corinthum Proconſul cui nomen Perinio, ut quae ea in urbe ſerviebat Eccleſiam vexaret, ac Chriſtianos perſequeretur. At beata & veneranda Chriſti agna Heliconis, ſimul atque Proconſulis in Chriſtianos fremitum furoremque percepit, ad locum cui a ſuggeſto nomen ſeſe conferens, hac praeſentes voce com-*

pel-

Digitized by Google

pellavit: O inſenſati & graves corde, &c. Ut ſileam confictum Gordiani & Philippi Conſulatum, adnoto dumtaxat quae recte Daniel Papebrochius obſervat in Commentario Praevio num. 6. *Majorem difficultatem Acta eadem nobis obiiciunt, fidemque ſuam tanto faciunt ſuſpectam magis, quanto magis irrefragabiles auctores praeſeferunt, ſcilicet Lucianum & Paulum, qui Fratribus in Aſia, Phrygia, Ponto, & Pamphilia, degentibus ſcripſerint ea, quorum ipſi fuerint* ſpectatores & adminiſtri.

X. Egregie igitur fallitur, Lectoremque ludificat Petrus de Natalibus Sanctorum Catalogum texens, dum famam ex vulgi rumore ortam, Acta ſubleſtae fidei, & Scriptores quoſdam ſine delectu, ut ſolet, ſequutus, Philippos Sanctorum Martyrum faſtis adſcripſit, Libro 11. cap. 92. *De SS. Philippo & Philippo Imperatoribus Martyribus*. At ubinam gentium, o bone, Martyres, quos cudis coluntur? Porro Eccleſiae auctoritate non accedente nefas eſt Martyres minime vindicatos obtrudere. Sed ab Operis illius Auctore perraro quidpiam boni exculpas ita perſaepe peccat; ac Priſcillianum haereticum nequiſſimum Sanctorum ſuorum Catalogo inſerere non dubitavit. Parcius haec Scriptoribus obiicienda novimus ſi quando a veritate deflectunt; maxime ubi quidpiam excidit prae oſcitantia: Sed multa hic peccat, & labitur turpiſſime: quis igitur tam ferreus ut teneat ſe? Mirantur Actorum SS. Collectores, ſubacto viri ingenio (die 20. Januarii, de S. Fabiano Rom. Pontif. §. 6. num. 29.) *non eſſe relatum in numerum Sanctorum Martyrum, ſaltem M. Julium Philippum juniorem, qui Romae ſanctiſſimis praeditus moribus, innocenti adhuc aetate, religionis praecipue cauſa interfectus ſit: niſi forte relatus eſt, ſed obliterata memoria; eo praeſertim, quod ut Eutropius auctor eſt, ab Ethnicis inter Divos relati ambo eſſent:* Ita quidem, ubi morum integritate, & hac execrabili ſuperſtitione minime infecta praeditum fuiſſe alicunde reſciſcere poſſemus. Verum patris, a quo altus fuit, flagitia novimus; hinc gnato metuimus, quod non ita facile de parentum ſemita deflectant liberi, ſcitumque ſit illud, mali corvi malum ovum. Profecto cum in Eccleſiaſticis monumentis alicubi per tranſennam Chriſtiana noſtrorum Caeſarum Religio ſpectetur (quia videlicet plures ita ſenſerunt) neuter uſquam Martyris nomine ſit inſignitus atque deſcriptus, argumento eſſe debuit clariſſimis viris, Eccleſiam cuique poteſtatem facere ſententiam quam mallent ſeligendi, modo tamquam Sancti quidam Martyres non colantur.

XI. Enim-

XI. Enimvero ſi uterque Imperator omnium primi Chriſto nomen dederunt; ſi ut quidam contendunt, pro eodem ab impiis hominibus caeſi ſunt, alicubi colerentur, agerenturque feſti dies. Magnum Conſtantinum (quamquam poſt illos, ut arbitrantur, Idololatriae repudium miſerit, & ab Eccleſia Latina ob Euſebii Nicomedienſis haereſim, & S. Athanaſii exilium, ſanctorum virorum faſtis non ſit adſcriptus) Eccleſia Graeca venerata eſt die XXI. Maii. Qui igitur fieri poteſt, ut conſimili cultu careat vel ipſe junior Philippus, qui duodecim tantum annos natus occubuit; maxime quod nefariis quibuſdam parentis flagitiis obnoxius non fuerit, quod ad gravitatem compoſitus eſſet atque illinc *agelaſtos* vocatus, & a Chriſtiani nominis hoſtibus ſit interfectus? Haeret igitur anceps Eccleſia; neque eos Principes coli tamquam Martyres ſuos aequo animo tulit, quos ſolemni Ethnicorum Apotheoſi aris auctos ab Idololatris novit, & Divinis honoribus conſecratos. *Inter Divos relati ſunt*, ait Eutropius L. 9. Hiſt. Roman. quod numquam contigiſſet niſi Ethnicarum potius partium quam Chriſtianarum homines crediti fuiſſent. Valeant igitur capita quaedam tribus Anticyris inſanabilia, & pergant, ut volunt, Sanctos Martyraſque vocare Auguſtum utrumque; eos enim Idololatrae Apotheoſi conſecrarunt tamquam de veteri impiaque ſuperſtitione optime meritos.

CAPUT III.

Philippus cum filio Annum, Ludoſque ſeculares celebrat: quantum id cum Chriſtiana Religione pugnet.

I. Vix quidquam Chriſtiana Religio magis execrata eſt quam Sacrificia, ritus, Ludoſque Anno Seculari Romae celebratos, quo tempore vix ullus ſuperſtitioni modus ſtatui, aut frena licentiae iniici poterant. Et tamen Chriſtianus Imperator, ſi quoſdam audimus, victimas mactavit, trinoctia egit, produxit gladiatores. In confeſſo eſt apud omnes, Philippum Anno ab Urbe Condita milleſimo (is fuit aerae communis partim An. 247. partim An. 248.) Seculares Ludos magnificentiſſime exhibuiſſe, quemadmodum tradunt Julius Capitolinus, Victor de Caeſaribus, Eutropius, Euſebius in Chronico, Paulus Oroſius, Nummi tandem & quaevis monumenta. Satis fuerit unum Capitolinum in Gordianis protuliſſe: *Fuerunt ſub Gordiano Romae Elephanti XX. & II. (quorum ipſe XII. miſerat, Alexan-* Tab. VII. Fig. 3. & ſeqq.

der

der X. Alces X. Tygrides X. Leones manſueti XL. Leopardi manſueti XXX. Belbi, ideſt Hyaenae X. Gladiatorum Fiſcalium paria mille, Hippopotamus, & Rhinoceros unus, Archoleontes X. Camelopardali X. Onagri XX. Equi feri XL. & cetera ejuſmodi animalia innumera & diverſa, quae omnia Philippus Ludis ſecularibus, vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & praeterea efferas, parabat ad triumphum Perſicum; ſed votum publicum nihil valuit: nam omnia Philippus haec exhibuit Secularibus Ludis, & Muneribus atque Circenſibus, cum Milleſimum ab Urbe Condita Annum in Conſulatu ſuo, & Filii ſui celebravit.

II. Ex carmine ſeculari Horatii in ludis ab Auguſto editis Anno U. C. 737. quod etiamnum ſupereſt, & Valerio Maximo, & Zoſimo intelligimus quanta ſuperſtitione imbuti Ethnicorum animi impia ſacra peragerent, adhibitis nefariis ritibus ad expianda Urbis flagitia, ad ineundam gratiam, petendamque opem a confictis numinibus. Tempus illud ſacrum vocat Horatius Diiſque dedicatum:

Phoebe ſilvarumque potens Diana,
Lucidum coeli ſidus, o colendi
Semper & culti, date quae precamur
Tempore ſacro.
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas pueroſque caſtos,
Dî quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.

III. Memoriae prodidit Zoſimus pueros puellaſque parente utroque ſuperſtite (patrimos matrimoſque dictos) delectos, eoſque arcano numero ter novem, hymnos paeanaſque, die ludorum tertio, in Palatina Apollinis aede, cum Graeca tum Romana lingua ceciniſſe, quo impendentia Urbi mala averterent atque deprecarentur, peterentque a Diis ut Romanos tuerentur, beneficiis cumularent, & imperii fines amplificarent. Atque ea de cauſa hymno longe cultiſſimo Solem, Dianam, Cererem, Ilithyam, Lucinam, Parcas, Horatius celebrat, preceſque fundit vates elegantiſſimus. Quanta igitur religione haec peragerentur oſtendit hujuſmodi carmen ἀποτρόπαιον; unde non pauca ſcitu digna facile eruantur, trinoctia praeſertim atque pervigilationes, & Seculi periodus, ut XV. viri cum Auguſto ſanxiſſe videntur, centum & decem annos complexa:

Cer-

Digitized by Google

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes.

IV. Satius fuerit Zoſimum audire qui haec diligenter perſequitur Libro 2. *Modus ludorum hujuſmodi relatus eſt in litteras. Circumeuntes praecones, univerſos ludorum cauſa convenire jubebant ad ſpectaculum quod neque vidiſſent antea, neque viſuri poſthac eſſent. Ipſo autem meſſis tempore, perpaucis diebus antequam ludi peragerentur, in Capitolio temploque Palatino, XV. viri ſedentes in ſuggeſtu luſtralia populo diſtribuebant. Ea ſunt faces, & ſulphur & bitumen: nec participes horum ſervi ſunt, ſed liberi dumtaxat homines. Poſteaquam populus univerſus, & in locis iis quae diximus, & in templo Dianae quod eſt in Aventino colle, convenit, triticum & hordeum, & fabas quiſque ſecum fert, ac Parcis nocturnos ludos caſte, pudiceque faciunt. Ubi ludorum tempus appetiit, quod tribus diebus totidemque noctibus in campo Martio faciunt, hoſtiae propter ripam Tiberis ad Tarentum Diis conſecrantur. His autem Diis rem ſacram faciunt, videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonae, Dianae: tum praeter hos Parcis & Lucinis, & Cereri, & Diti patri, & Proſerpinae. Prima nocte ſpectaculorum, ad horam ſecundam, tribus aris in ripa fluminis conſtructis, Imperator cum XV. viris tres agnos caedit, & aris ſanguine reſperſis ſolidas victimas adolet.* Alia ſubjicit Zoſimus, quae huc afferre non vacat: eum quiſque conſulat. Quanti autem fierent ab Ethnicis idem aperit: *Itidem alia ſecundum traditum a Numine ritum fiebant, quae ſane quamdiu peracta fuerunt nullum Reſpublica Romana detrimentum cepit.*

V. Sacrorum id genus originem altius repetens a bello uſque quod Romani contra Albanos geſſerunt arceſſit, atque Diti & Proſerpinae, Diiſque Inferis, ſive Manibus furvas, nigraſve victimas mactatas, nocturnoſque ludos peractos tradit. Quotus vero quiſque eſt qui non videat ritus tam impios animum Chriſtiana pietate imbutum execrari, eorumque recordatione percelli, & horrere? Herodianus horum teſtis optimus, Libro 3. de Severo agens, Annoque Seculari ab eo celebrato, ait: *Vidimus item ſub illo quoſdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, ſimulque ſupplicationes & pervigilia ad formam Cereris initiorum (Seculares hi tunc appellabantur) celebratos, ut*

 ajunt,

ajunt, decurſo trium ſpatio aetatum. Siquidem Urbe tota atque Italia praecones itabant convocatum omnes ad ludos quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodo forent: ita ſcilicet intervallum praeteritae futuraeque celebritatis ſupra omnem eſſe hominum aetatem ſignificantes. Male ergo Chriſtianae Religioni, ut videtur, conſulunt, qui putant Imperatores ejus cultores tanto ſceleri viam ſternere Annum Ludoſque ſeculares celebrando, miſſis quoquoverſus praeconibus, ut ingens multitudo alliceretur & in Urbem conflueret ad impia ſacra Ludoſque, quae non tantum *vana & ridenda* vocat S. Auguſtinus L. 3. de Civitate Dei cap. 10. verum etiam *magnos ludos daemonum*. Haud ſcio quomodo rem adeo impeditam adverſarii reſtituant. Reponentne Philippum aegre, & invitum vix ac ne vix quidem ſpectaſſe inſanas Ethnicorum caeremonias, neque commiſiſſe ut vel tantillum ſuperſtitione ulla infici videretur. Nae hi Philippum non Chriſtianum tantum, ſed Religionis noſtrae Heroibus comparandum praedicant, qui neque in populi offenſionem incurrere metuerit, nec rebus ſuis conſultum vellet! Atqui Bollandiani, Huetius, Fleurius, ceterique naris minime obeſae, cum ob alia rationum momenta, tum vero maxime ob Philipporum Apotheoſim, occulte initiatos Chriſti Sacris Caeſares arbitrantur.

VI. Philippum graviter acerbe tuliſſe ritus ludoſque ſeculares ajunt illius vindices: cur igitur adeo riſu tunc diffluebat, ut gnatus adhuc puer, vultu gravi ac ſubtriſti, unde *ageſtos* dictus, patrem inſimulare, deſpicere, & arguere ſit viſus? *Patrem* inquit Victor in Epitome *ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener vultu notavit averſato*. Cum Imperator, ut ex Zoſimo audivimus, prima nocte cum XV. viris tres agnos caederet, eorumque ſanguine aras imbueret, victimaſque adoleret, nonne ſe palam Chriſtiani ritus cultorem prodidiſſet, ſi ea ſacra peragere ſibi vitio vertens muneri ſuo defuiſſet? Nonne Imperio ac Pontificatu Maximo auctus aut ſe eo magiſtratu abdicare, aut nova ſacra clam ſuſcepta palam facere cogebatur? Quo ſe vertant eruditi viri non habent: nullum patet effugium, parumque eos juvant occulta illa, nullique Ethnicorum explorata Chriſtiana ſacra ad quae confugere ſolent tamquam ad ſacram anchoram: eo enim ventum eſt ut officiat potius quam conducat occulta illa Auguſtorum pietas, quod nefas ſit Chriſtum clam colere, palam Deos Inferos, & abſona quaevis Idola, ſpectra, maloſque Daemonas.

VII. Rem

VII. Rem ad triarios redire compertum eſt, ſi ad ea quae narrat Victor de Caeſaribus animum adjungamus: *Cum Pontificum lege hoſtiae mactarentur, ſuis utero maris feminarum genitalia apparuere. Id haruſpices ſolutionem poſterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati: quod fruſtratum iri aeſtimans Imperator Philippus, tum quia forte praeteriens filii ſimilem pro merito ephebum conſpexerat, uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſime curavit.* Ecquis hic perſpicue non videat Idololatram Imperatorem exhiberi ſacrificia colentem, ſibique vel Regiae domui atque Reipublicae ob monſtra, & portenta metuentem? Huc accedit nihil Victorem proferre quod ab anni ſecularis ritibus Romanorumque moribus abluderet. Nam ſuem quoque a Severo immolari anno ſacriſque conſimilibus in Nummis videmus: nec dubito quin Philippus rem Divinam fecerit Ethnicorum more, ſacro illo tempore, quando Alexandrum idem egiſſe continenter ſummo mane ex Lampridio intelligimus, qui haec quoque adnotavit: *accepit praetextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco Pontificis, non Imperatoris:* ſiquidem utroque illo munere Auguſti fungebantur. Poſt Alexandrum, Gordianus Imp. decennio circiter ante annum ſecularem Philipporum rem Divinam agebat, teſte Victore de Caeſaribus: *Antoninus Gordianus Africae Proconſul ab exercitu Princeps apud Thyſdri oppidum abſens fit. Quo ut accitus pervenit tamquam ea re creatus foret, ſeditione excipitur, qua lenita facile, Carthaginem petit. Ibi cum avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem Divinam ſolitis ageret, repente hoſtia partum edidit. Id haruſpices, atque ipſe maxime, nam hujus ſcientiae uſu immodice prudens erat, ita accepere, illum quoque deſtinatum neci, verum liberis pariturum Imperium:* Et quidem Imperatorem prima ſpectaculorum nocte tres agnos mactaſſe, araſque totidem ſanguine imbuiſſe a Zoſimo accepimus. Cum vero telluri, cui anno ſeculari litabant, tam niger agnus, quam concolor ſus immolaretur, conjecturam facere quis poſſit, Philippum ſuem impuriſſimum animal aris admotum, cum XV. viris ſacrificaſſe: certe adfuiſſe dum victimarum delectus habebatur, ſacriſque operam dediſſe Victorem conſulenti, veriſimillimum videbitur.

VIII. De agnis praeter Zoſimum veterrimum locupletemque teſtem Homerum damus Iliad. 1.

Οἴσετε δ᾽ ἄρν᾽ ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῇ τε καὶ ἠελίῳ.

Ferte agnum, alterum album, alteram vero nigram
Telluri & Soli.

Sed tellurem porco, & nigra ſue piandam anno ſeculari Sibylla praecipit apud Zoſimum:

αὖθι δὲ γαίῃ
Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.
Telluri porcus mactator cum ſue nigra:

ut ut nonnulli paulo aliter legendum ſuſpicentur. Huc ſpectat Horatius L. 2. epiſt. 1.

Tellurem porco Silvanum lacte piabant;

niſi forte *porca* poeta ſcripſerit, ut putat non nemo; nec permagni intereſt. Accedunt Macrobius L. 1. Saturnal. cap. 12. *Sus praegnans mactatur, quae eſt hoſtia propria terrae:* & Arnobius L. 7. *Telluri matri ingens ſcropha immolatur foeta.*

IX. Ex Hiſtoriae Auguſtae Scriptoribus adduximus Capitolinum recenſentem inter cetera a Philippo ludis ſecularibus exhibita *Gladiatorum fiſcalium paria mille; quae omnia*, ſubdit, *Philippus ludis ſecularibus vel dedit, vel occidit:* & paulo poſt, *omnia haec Philippus exhibuit ſecularibus ludis, & muneribus, atque circenſibus.* Recte τὸ *dedit*, & *munera* adponuntur; quandoquidem gladiatores producere, *munus*, vel *munera dare* proprie dixerunt veteres, quibus accedunt eruditi lapides. Nec abs re fuerit ſedulo obſervare Capitolini gladiatores eo *fiſcales* nominari, auctore Juſto Lipſio Saturn. Serm. L. 2. cap. 16. quod ad Caeſaris bona, & veluti fiſcum pertinerent. Gordiani Auguſti primum fuerat infelix acies; eo ſublato, Philippi, non alius, neque ab alio exhibita in atroci ſpectaculo: atque haud ſcio an haec ut oportuit expenderint qui Philippum nobis de meliore nota commendant. Nam tam immania ſcelera horret Chriſtiana pietas, & gladiatoriae nequiſſimae diſciplinae nihil convenire cum Evangelica lege clamat, arcetque a baptiſmi ſacris; ut S. Auguſtinus Lib. *de Fide & Operibus* monet, cap. 18. *Neque de morum correctione catechizandos eſſe cenſeant competentes, & conſequenter omnes etiam illarum publicarum turpitudinum, & ſcelerum profeſſores, hoc eſt meretrices, lenones, gladiatores, ac ſiquid hujuſmodi eſt, etiam in illis malis permanentes, admitti oportere arbitrentur .... reſiſtentes atque in eis ſe permanſuros profitentes, ad accipiendum baptiſmum non admittunt.*

X. Ac nequis ſibi ſomnia fingens antiquiorem Eccleſiae diſciplinam

nam minus gladiatoribus iniquam judicet, ecce tibi Tertullianum paulo ante Philipporum Imperium perditiſſimos illos mores damnans c. 38. Apologetici: *Aeque ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas; cum & ipſis rebus de quibus tranſiguntur praeterſumus. Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum vanitate xyſti*: Non alia fuit unquam ceterorum Patrum ſententia, omneſque amice conjurant & feralem arenam diris devovent. Cedo unum exitialis ſceleris vindicem. Ceterum Tertullianus acutiſſimo vir ingenio, & in Mythica Theologia Ethnicorum apprime verſatus, maximam flagitioſiſſimae artis turpitudinem paucis detexit, revocavitque ad ſuperſtitionem atque crudelitatem.

XI. Primordia hujuſce ſpectaculi Lipſius ceterique repetunt a priſco funebri ritu. Mactabant quondam funerum curatores captivos, vel in rogum conjiciebant; ut Achilles Patroclo juſta perſolvens,

Biſſenos juvenes Trojano ſanguine cretos;

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων ὑιέας ἐσθλὺς:

& conſimilis religionis praetextu prima gladiatorum munera in Urbe ſunt edita. Auguſtis imperantibus idem uſuvenit; hinc Julius Caeſar *filiae ſuae* inquit Dio *& ferarum caedes, & virorum pugnas exhibuit*: & Spartianus narrat *Hadrianum praecipuos honores ſocrui ſuae ludis gladiatoriis impendiſſe*. Plura ſupremis tabulis locupletes ſtatuebant; & heredes, ut ſcite Horatius,

Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum
Damnati paria.

Pluribus haec ad vivum reſecat Lipſius, maxime Lib. 1. Saturn. Serm. cap. 8. ac dignum eſt quod adnotetur, profluxiſſe hanc religionem ex re rituali, & funebri Etruſcorum, apud quos eum morem obtinuiſſe teſtis eſt eruditiſſimus Franciſcus Gorius in *Muſeo Etruſco* tom. 1. tab. CLXXV. & tom. 2. pag. 353. &c. Placari ſanguine Manes crediderunt Ethnici, & propterea, ut nonnulli tradunt, Diti, Inferiſque ſacri erant hujuſcemodi ludi; vel, ut aliis lubet, Saturno, Marti, vel Herculi. Certe Horatius ſummus vates emeritos gladiatores, arma, tamquam Herculis ſacra, ad ejus aedem ſuſpendiſse docet:

Vejanius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

XII. Al-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

XII. Alterum diri ſpectaculi genus eſt immanis crudelitas, cum arena, ſanguine & caedibus contaminata, clamoribus plauſuque etiam inſanae plebeculae omnia complerentur. Nam inflicta atrocia vulnera & lanienas ſiccis ſpectabat oculis, & ad ſe quandoque a victis provocari aegre ferebat, victoribus favens, victiſque indignata, maxime ubi mortem deprecarentur. Neque fas erat miſeris, vulneribus quamquam confoſſis & animam agentibus, quicquam ſperare, niſi poteſtate facta ab eo qui gladiatores producebat, propter jurisjurandi religionem: ſed pugnandum perſaepe fuit ad ſupremum uſque ſpiritum, vincendumque vel moriendum. Hinc Tullius 2. Tuſculan. *Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos qui quaerant quid velint: ſi iis ſatisfactum non ſit, ſe velle decumbere*. Furorem adeo cum Evangelica lenitate pugnantem execratur Lactantius L.6. *Quaero nunc an poſſint pii & juſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, ſed efflagitant: Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter e duobus alter occiſus eſt .... Quin etiam percuſſos jacenteſque repeti jubent, & cadavera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat*. Conſulendus S. Auguſtinus L.6. Confeſſionum, cap.8. ubi carpit gladiatorios ludos & Alypii inſaniam. Jure ergo factus proverbiis phraſibuſque locus, gladiatorio animo quempiam adgredi, & gladiatore infeliciorem eſſe, ut Poſidippus Comicus apud Athenaeum,

Nos miſeriores gladiatoribus ſumus:

Τῶν μονομαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι.

XIII. Noſtra etiam aetate ſpectantur gladiatores humi ſtrati & lethale ferrum pectore excepturi, non oculis tamen caedis avidis in cimeliis, ut in eximia Sardonyche de qua diſſerit *Marquardus Freherus* in *Cecropiſtromachia*. Ac non ſine Providentiae Divinae ope factum reor ut etiamnum ſuperiorum temporum monumenta ſuperſint, & a doctiſſimis viris, admota vetuſtati luce illuſtrentur cum ceteris ultimae antiquitatis ludis, theatris tribus, moribus. Anicularum enim ſomnia & naeniae viderentur impia ſpectacula, Patreſque Sancti illa tam ſerio damnantes, fabulas conſectari. Sed nullus reliquus eſt ambigendi locus: patet infamia probrumque Ethnicae diſciplinae cum maxima Chriſtiani nominis gloria. Enimvero ubi primum Chriſtiani Principes Romani Imperii clavum tenere coeperunt, latae ſunt leges vetitumque nequis id genus ludos ederet; & quamquam non continuo ubique terrarum ſublati ſunt quod mos inveteraſſet, populique priſti-

Tab. VII. fig.I.

nae

nae religionis contagione inficerentur : tamen non ita multo poſt obliterata eſt eorum turpis memoria. Qui igitur fieri potuit ut Philippus vix ſacro fonte expiatus, non unum aut alterum gladiatorum par, non decem, non centum, ſed mille praebuerit; gladiatorum inquam *fiſcalium* atque ſuorum, non alienorum; haec enim vis voci illi ſubeſt, ut eruditi Viri norunt. Aluit infame agmen, quondam Gordiani, totos tres Annos, ſed cui bono? Scilicet tot praeclaros cives in Urbe verſari Reipublicae intererat, vel a Fabiano Sanctiſſimo Pontifice edoctus, diſcerpi illos tandem maluit atque dilaniari Secularibus ludis, quo populi rabies ſitiſque eorum ſanguine reſtingueretur!

XIV. Non ita ſane Magnus Conſtantinus qui neque Seculares ludos edidit, neque gladiatorium munus probavit. Zoſimus quidem illi infenſus queritur neglecta ejus tempore priſca ſacra, omniaque labefactata atque collapſa : *Conſtantino & Licinio III. Coſſ. centum & decem Annorum tempus integrum aderat, quo jam ludos conſueto more celebratos oportuit : eo vero non obſervato, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quae hoc tempore nos urget*. Erat Annus de quo loquebatur 313. aerae vulgaris, quo Conſulatum tertium inierunt Conſtantinus & Licinius Auguſti, exacto ſpatio 110. Annorum ab Anno Seculari Severi Imp. aerae noſtrae 204. Porro optimus Princeps Idololatriam funditus everſurus & Eccleſiae rebus jamdiu acciſis opem laturus, pie ſapienterque ludos rituſque impios contemſit, & optimam, quae extat apud Euſebium H.E. L.10. c.7. Conſtitutionem pro Eccleſia edidit: annoque 325. Caeſarei Imperii Vicennalia celebrans edixit ne gladiatorum ſpectacula in Oriente, Berythi maxime, exhiberentur. Nec vero Honorius Imp. Anno Chr.404. Seculares ludos reſtituit; tametſi nonnulli macula adſpergunt iſta ſextum illius Conſulatum. Carent enim univerſim ea labe tempora magis auſpicata Principum Chriſtianorum : ludos tamen gladiatorios, antea non ſemel damnatos, omnino Romae etiam ſuſtulit immortali ſui nominis & Chriſtianae Religionis gloria.

XV. Recte igitur Aurelius Prudentius, extremis verſibus contra Symmachum, Honorium Romae agentem hortatur; ut gladiatorios ludos omnino tollat:

Quod genus ut ſceleris jam neſciat aurea Roma
Te precor Auſonii Dux auguſtiſſime regni,
Et tam triſte ſacrum jubeas ut cetera tolli.
Perſpice, nonne vacat meriti locus iſte paterni,

Quem

Quem tibi ſupplendum Deus & genitoris amica
Servavit pietas? Solus ne praemia tantae
Virtutis caperet, partem tibi nate reſervo
Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodque patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum ſanguine tingi,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litare.
Nullus in Urbe cadat, cujus ſit poena voluptas.
Jam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis:
Sit devota Deo, ſit tanto Principe digna,
Et virtute potens, & criminis inſcia Roma,
Quemque Ducem belli ſequitur pietate ſequatur.

XVI. Si quis rem ſerio apud ſe putet vix fieri poterit quin Philipporum vindicibus ſuccenſeant. Expiationes, ſacrificia, hymni, pervigilia, ſupplicationes, lectiſternia, & ſexcenti ex Erebo petiti ritus nefarii, quibus ſe veteres conſcelerabant; ad haec atrocia arenae ſpectacula, circenſes, omniſque generis ludi, theatri licentia: praeterea quicquid umquam cogitari poteſt turpe vel impium, & ab unius veri Dei caſto pioque cultu magis alienum, ad feſtos illos dies qui tum agebantur pertinebat. Neque Euſebius poſthabitum quidpiam exiſtimavit ita de illis in Chronico loquutus: *Regnantibus Philippis Milleſimus Annus Romanae Urbis expletus eſt; ob quam ſolemnitatem innumerabiles beſtiae in circo magno interfectae, ludique in Campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebrati* = En Trinoctium illud maxima ſuperſtitione, Inferorum etiam Deorum ſacrificiis contaminatum, & ludos Terentinos Auſonio ceteriſque dictos a loco,

Trina Terentino celebrata Trinoctia ludo.

Nullum ſpectaculi genus praetermiſſum poſtremo Anno Seculari Severi Auguſti nos admonet Herodianus L.3. unde conjiciamus ne in Philipporum quidem ludis magnifice editis quidquam deſideratum: *Vidimus & ſub illo quoſdam omnis generis ludos cunctis editos Theatris, ſimulque ſupplicationes & pervigilia ad formam Cereris initiorum: Seculares hi tum appellabantur.*

XVII. Quae igitur adverſarios noſtros religio inceſſit ut Philippos Auguſtos crimine abſolvant? Equidem novimus haeſiſſe quandoque

que nonnihil antiquae ſuperſtitionis Ethnicis ad meliorem frugem in Eccleſia converſis, & non pauca coactos etiam fuiſſe ferre priores Chriſtianos Imperatores; non tamen propterea tenebras offundere licere verae illorum pietati qui Chriſtum palam coluerunt. Verum de operis ſumma hic agitur, non de paucis quibus offendamur maculis. De ea re agitur de qua variae ſunt diſcrepanteſque ſententiae, deque eo Principe qui ludorum pompa & illecebris maximopere ſe oblectabat. *His imperantibus* inquit Eutropius L. 9. *Milleſimus Annus Romae Urbis ingenti ludorum apparatu, ſpectaculorumque celebratus eſt*. Ecquiſnam tam magnifice ſplendideque inſanos ludos edere cogebat? Convivia fortaſſe agitabat feſtoſque dies ob expiata baptiſmo ſcelera pridem patrata. At id Oroſius litteris commendavit. Nugari te crederem & in re ſeria jocari; ſed ita res habet. Praeſto eſt Oroſius ejuſque editio Batavorum typis adornata, oppido luculenta, viri eruditiſſimi Sigeberti Havercampi curis caſtigata Ann. Chr. 1738. ad praeſcriptum MSS. Codicum, Florentini noſtri maxime Laurentianae Bibliothecae Annorum circiter mille, nequis fabellas venditari exiſtimet. Ita vero illic Hiſtor. L. 7. c. 20. pag. 512. *Anno ab Urbe Condita 997. Philippus Viceſimus quartus ab Auguſto Imperator creatus Philippum Filium ſuum Conſortem regni fecit, manſitque in eo annis ſeptem. Hic primus Imperatorum omnium Chriſtianus fuit; ac poſt tertium Imperii ejus Annum, Milleſimus a conditione Romae Annus impletus eſt. Ita magnificis ludis auguſtiſſimus omnium praeteritorum hic natalis annus a Chriſtiano Imperatore celebratus eſt. Nec dubium eſt, quin Philippus hujus tantae devotionis gratiam & honorem ad Chriſtum & Eccleſiam reportarit, quando vel adſcenſum fuiſſe in Capitolium, immolataſque ex more hoſtias nullus Auctor oſtendit* = Haec ille, ſed ſtipes ſim, ac caudex, niſi quicumque Oroſium audierit ſtupore perculſus haereat, credatque ita eum ſenſiſſe quod nimium Philippo detulerit, quodque facile vulgi rumoribus aures accommodaverit. Interim ludos vocat *magnificos*, annumque inter omnes praeteritos *auguſtiſſimum*, quod cum Eutropii *ingenti adparatu* Philippi cauſam non admodum juvat.

CAPUT IV.

Philippi Impp. nulla neceſſitate compulſi, ſed libentes volenteſque Annum Secularem celebrarunt.

I. SEd jam cauſae jugulum petamus, oſtendamuſque Caeſares noſtros non tantum impiorum hominum deliria atque flagitia aegre non tuliſſe, & ſuperioris aetatis Principes rituum ludorumque pompa atque magnificentia longe poſt ſe relinquere voluiſſe; verum Annum Secularem etiam, adeo Paganis ſacrum lubenti animo celebraſſe, & quia ita maluerunt, miſſis praeconibus, nemine compellente, indixiſſe. Hac ratione intelligent omnes, ii etiam qui non adhuc norunt ſine cortice nare, vel quam addicti forent Idolorum cultui, vel quam parum ſibi vitio verterent Urbem ſuperſtitione inficere.

II. Vix tres ſupra quadraginta anni effluxerant a poſtremis ludis Secularibus Annoque pariter Seculari Octavo Severi Imp. peracto aerae Chriſtianae Anno 204. cum Philippus, mala avi, celebrandum conſtituit, anno Chr.247. Milleſimo ab Urbe Roma condita, iterum Secularem Annum Ludoſque Nonos. Jam quis eſt tam hebes qui riſum teneat audita voce praeconum Philippi populum advocantium, more majorum, ad ludos quos nemo antea ſpectaſſet, neque eſſet poſtea ſpectaturus? Nonne innumerabiles cives quinquaginta, ſexaginta annos nati & eo amplius, niſi bipedum ſtupidiſſimi fuerunt omnes, ſe ludis Severianis interfuiſſe meminerant, cum iſtiuſmodi ſpectacula non facile memoria excidant? Et Claudium quidem Imperatorem Anno U.C. 800. Chriſti 47. irriſum, ſcommatiſque laceſſitum veteres memorant, quod Annum Secularem ſextum celebraret ſexageſimo tertio anno poſt conſimiles Auguſti ludos actos Anno U.C. 737. Nam, ut auctor eſt Plinius L.7. c.48. Stephanio quidam & utroſque Auguſti & Claudii ludos ſpectavit, & ſaltavit in utriſque. Huc ſpectat Svetonius in Claudio, dum ait: *Irriſam vocem praeconis invitantis ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent adhuc qui ſpectaverant; Item quidam hiſtrionum producti olim, in illis producerentur* = Stephanionis mentionem injicit Svetonius idem in Auguſto. *Hiſtrionum licentiam adeo compeſcuit ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat, per trina theatra virgis caeſum relegave-*

gaverit. Quid togatarius? An non ſaltabat? Virgis ad mortem caeſus non fuit, ſed poſtea relegatus. Notus igitur fuit Stephanio ea de cauſa, atque idcirco fortaſſe omnibus obſervatus in Claudii ludis. Jam vero ſi ſexaginta trium annorum intervallum exiguum eſt pro ludis inſtaurandis; annon ſpatium quadraginta trium annorum, quot videlicet lapſi fuerant a Severianis ſpectaculis ad Philippea, anguſtioribus adeo cancellis circumdatum, ridendum merito Philippum praebuerit? Non igitur ut Romano populo morem gereret, non ut rebus ſuis conſuleret, ſolemnia illa peregit, veritus ne turbae orirentur, neglecto legitimo ſacrorum tempore; ſed quia collibitum fuit, Secularem Annum injuſſus celebravit, tam vehementi deſiderio flagrans, ut dicacis popelli jocos & dicteria floccifecerit: cumque a ſanctiſſimis majoribus noſtris nulla ratio inſanientis populi haberetur, ubi quidpiam veri Dei cultui adverſaretur, ille animum induxit irriſiones potius perferre, quam impia ſacra & gladiatoria munera praetermittere.

III. Fac autem Philippum rite & Romano more Annum Urbis Milleſimum celebraſſe, an propterea ullus fuit qui eum jure cogere poſſet? Minime vero: Seculum Romanum vel centum tantum annos complectebatur, vel centum ac decem, quemadmodum Quindecimvirales commentarii cum Auguſto conſtituerant; eaque ratione Seculum definit Horatii hymnus,

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totidemque grata
Nocte frequentes.

Sed nemo unus extitit qui ſolis quadraginta tribus annis Romana Secula conſtare ſit arbitratus. Itaque poſt Severianos An. Chr. 204. exhibitos, novos edendos curare An. Chr. 247. Imperator minime compellebatur, ſi ſatius duxiſſet eo ritu ſuperſedere. At annus ille haud potuit ſine piaculo negligi, utpote Milleſimus ab Urbe condita, cum Claudius Imp. quoque Octingenteſimum conſecraſſet. Verum parvi id refert; ſiquidem Seculares pompae centenariis Urbis annis non erant neceſſario adligatae, neque ceteri Principes ita ſe geſſerant, neque annus Urbis Septingenteſimus, vel Nongenteſimus, Secularibus ludis fuerant celebrati.

IV. Ex quatuor Imperatoribus qui illos pridem exhibuerant, Auguſto, Claudio, Domitiano, Severo, neque prior, neque duo poſtremi annos Urbis centenarios veluti Seculares egerunt: unus Clau-

dius id praeſtitit, novumque morem invehere viſus eſt neglectum conſecutis temporibus a Domitiano, ab Antonino Pio, Nongenteſimo Urbis anno imperante, atque a Severo. Cur igitur Philippus Claudium ſequi maluit? Auguſtus plurima collapſa reſtituens cum XV. Viris, quorum haec intererant, anno Urbis 737. minime centenario ludos revocavit; elapſiſque ducentis & viginti annis, An. U.C.957. Severus ad Auguſti praeſcriptum eoſdem inſtauravit. Domitianus non An. U. Tab. VI. Fig. 1. 2. 3. 4. 5. C. 847. ut oportuit, ſed paulo ante Secularem pompam ſpectandam curavit, videlicet An. U.C. 841. Chriſti 88. tametſi tempus rite conſtitutum cadebat in An. U.C. 947. Chriſti 94. decimum ſupra centeſimum ab Auguſteis ludis. Unus ergo Claudius ex Romanis Imperatoribus, quotquot ante Philippum extiterant, annis Urbis Centeſimis Sacra peregit, annoque Urbis Octingenteſimo ludos praebuit; cujus potius praeeuntis quam ceterorum veſtigiis inſiſtere non cogebatur Philippus Auguſtus, quintus poſtremuſque Caeſarum ludos hoſce exhibentium. Quattuor tantum recenſiti Principes Seculares Annos celebrarunt ante Philippos, vocatos Annos Ludoſve Seculares Quintos, Sextos, Septimos, Octavos; cum ſuperioribus Reipublicae temporibus, quater tantum iidem feſti dies & anni acti eſſent atque horum teſtem locupletem damus Cenſorinum, ejuſque aureum oppido, & accuratiſſimum libellum *de die Natali* fere ſub Philipporum Imperium exaratum Anno Chriſti 238.

V. Et quidem ſi Claudius haud rite ludos peregit nullus reliquus eſt defenſioni Philippi locus; ſin autem praeſtitutum tempus aderat atque legitimum, non continuo ſequitur tunc celebrandos a Claudio fuiſſe, cum vix effluxiſſent ſexaginta tres anni a poſtremis quintiſve: itaque irriſus eſt praeco; quod idem de Philippo dicimus. Claudium Zoſimus carpit, ejuſque ludos a ceteris Imperatoribus minime probatos obſervat Lib.2. *Poſt Auguſtum Claudius ludos celebravit, numero praeſtitutorum annorum neglecto. Poſt eum Domitianus, Claudio valere juſſo, numeratoque ambitu annorum ex quo ludos Auguſtus feciſſet, traditam ab initio legem ſervare viſus eſt. Secundum hos Severus, cum Anni CX. jam adpetiiſſent, cum filiis Antonino & Geta, ludos eoſdem ordinavit, Chilone Liboneque Coſſ.* Patet hinc cur Zoſimus Philippicorum ludorum non meminerit, & Severianos omnium poſtremos laudaverit. Non enim eos ſiluit tamquam a Chriſtianis Principibus editos, ut Taffinus cenſuit, ſed valere illos jubet ut Claudianos ob minime ſervatum annorum ambi-

tum. Quid? Nonne Conſtantino multo magis dicam ſcribere potuiſſet, ob ritum illum abrogatum, ſi alium Chriſtianum Imperatorem proferre licuiſſet, qui antea ludos & ſacra Secularia exhibere religioni minime habuiſſet?

VI. Patet Claudium in luto haeſitaſſe, re non bene comperta, & aliud alias ſenſiſſe: tametſi enim de eo Svetonius ſcribit in Claud. *Fecit & Seculares quaſi anticipatos ab Auguſto nec legitimo tempori reſervatos*, ſubtexuit tamen, *quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat intermiſſos eos, Auguſtum multo poſt, diligentiſſime annorum ratione ſubducta, in ordinem redegiſſe*. Non igitur vitio verti potuit Philippo ſi Severo potius qui paulo ante floruerat, & Auguſto qui jamdiu praeceſſerat, acceſſiſſet, quam Claudio diruenti aedificanti & quadrata rotundis mutanti. Auguſtus ſane de temporum ratione Romaniſque Sacris non male meruiſſe videtur; ſiquidem *nonnulla etiam ex antiquis caeremoniis paulatim abolita reſtituit, ut ſalutis augurium, Diale flaminium, ſacrum Lupercale, ludos Seculares & Compitalitios*, ut ex eodem Svetonio in *Auguſto* exploratum eſt. Praeterea, teſte inibi Svetonio ſaepius laudato, *Annum a D. Julio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit*. Notum lippis atque tonſoribus, intercalatis diebus duodecim ſpatio triginta ſex annorum, quo novem tantum dies interjici oportuit, luxatoque ea de cauſa anno Juliano Sacerdotum oſcitantia, Auguſti edicto, duodecim, qui conſecuti ſunt, annis, nullos dies intercalatos fuiſſe, quo tres qui ſupererant ſenſim ſine ſenſu evaneſcerent; atque ita turbati pridem anni labem ſublatam. Cur igitur Philippus in hoc annorum ritu, Auguſto poſthabito in ea doctrina magis verſato, Claudium ſequi maluit, & ſecularia ſacra, nemine compellente celebrare?

VII. Nequis vero arbitretur veteres Romanos maxima quadam religione ſuſpexiſſe centenarios Urbis Annos, non ab re eſt omnium Annorum Secularium qui quondam Romae ſunt celebrati, ſeriem Chronologicam paucis contexere, qua omnia haec, ceteroqui ſubobſcura in praeclaro lumine collocentur. Praeſtantiores Chronologi facem nobis praeferent, Cenſorinus maxime *de die Natali* cap. 17.

T A-

TABULA CHRONOLOGICA

Annorum Ludorumque omnium Secularium.

Ludi Seculares I. Anno Urb. Cond. CCXLV. ex Valerio Antiate. *L. Junio Bruto*, & *P. Valerio* Coſs. Sed ex Commentariis XV. virum, An. U.C. CCXCVIII. *M. Valerio*, *Sp. Virginio* Coſs.

Lud. Secul. II. An. U. C. CCCV. ex Val. Antiate. *L. Valerio Potito*, & *M. Horatio* Coſs. verum ex Libris XV. vir. A. U. C. CCCCVIII. *M. Valerio Corvino II.* & *C. Poetilio* Coſs.

Lud. Secul. III. An. U.C. DV. ex Antiate & Livio. *P. Claudio Pulchro*, & *L. Junio Pullo* Coſs. ſed ex XV. vir. A. U. C. DXVIII. *P. Cornelio Lentulo*, *C. Licinio Varo* Coſs.

Lud. Secul. IV. An. U. C. DCV. ex Antiate, Livio, & Varrone. *L. Marcio Cenſorino*, & *M. Manilio* Coſs. ſed ex Piſone Cenſorio, Cn. Gellio, & Caſſio Hemina, qui tum vivebat, A. U. C. DCVIII. *Cn. Cornelio Lentulo*, & *L. Mummio Achaico* Coſs. demum ex XV. virum libris, A.U.C. DCXXVIII. *M. AEmilio Lepido*, & *L. Aurelio Oreſte* Coſs.

Lud. Secul. V. An. U. C. DCCXXXVII. celebrati ſunt ab Auguſto, & Agrippa, *C. Furnio*, & *J. Silano* Coſs.

Lud. Secul. VI. An. U. C. DCCC. celebrati ſunt a T. *Claudio Caeſare*, *ſe IV.* & *L. Vitellio III.* Coſs. In Annus fuit aerae Chriſtianae XLVII.

Lud. Secul. VII. An. U. C. DCCCXLI. aerae Chriſt. LXXXVIII. Septi-

Septimos hos Ludos ſeculares edidit *Domitianus* Imp. *ſe XIV.* & *L. Minucio Rufo* Coſs.

An. U. C. DCCCC. aerae Chr. CXLVII. *Largo*, & *Meſſalino* Coſs. non edidit Seculares Ludos Antoninus Pius Imp. contra ac Sentiat Taffinus eos Octavos Vocans, & Cenſorini ordinem ſeriemque injuria carpens.

Lud. Secul. VIII. An. V. C. DCCCCLVII. aerae Chr. CCIV. Octavos (inquit Cenſorinus qui tum vivebat) fecere ludos Seculares Imperatores Septimius Severus, & Antoninus, *Libone* & *Chilone* Coſs.

Lud. Secul. IX. An. U. C. M. aerae Chr. CCXLVII. a die Palilium uſque ad Palilia A. aer. Chr. CCXLVIII. *Philippi Auguſti* Conſules, Nonos Ludos ediderunt, non Decimos, ut putat Taffinus. Ludi hi & Noni fuerunt, & omnium poſtremi.

An. U. C. MXVI. aerae Chriſt. CCLXIII. *M. Nummio Albino II.* & *M. Dextro* Coſs. Imperator Gallienus non edidit Seculares Ludos, quicquid dicat Taffinus qui ſextodecimo anno poſt Philippeos celebratos exiſtimat, eoſque vocat Undecimos, ut Duodecimos & poſtremos Ludos Honorii Imp. qui nuſquam ſpectati, vel editi ſunt.

An. U. C. MLVII. aerae Chriſt. CCCIV. *Diocletiano Aug. IX.* & *Maximiano Herc. Aug. VIII.* Coſs. Ludi exhibiti non ſunt.

An. U. C. MLXVI. aerae Chr. CCCXIII. *Conſtantino Aug. III.* & *Licinio Aug. III.* Coſs. Ludi Seculares praetermittuntur, Zoſimo aegre ferente Lib. 2. Immo hoc eodem anno primam Conſtitutionem pro Eccleſia edidit, ut Pagius obſervat, Magnus Conſtantinus.

An.

An. U. C. MC. aerae Chriſt. partim CCCXLVII. partim CCCXLVIII. videlicet uſque ad Palilia, quo quidem An Chr. CCCXLVIII. Conſules proceſſerunt *Fl. Philippus*, & *Fl. Salia*, Seculares Ludi non fuerunt editi, teſte Victore *de Caeſaribus* in *Philippo*. Conqueritur Victor neglectum morem quem Claudius atque Philippus Impp. invexerant, omiſſoſque Ludos a nullo poſt Philippum Imp. celebratos.

An. U. C. MCLVII. aerae Chriſt. CCCCIV. *Honorio Aug. VI.* & *Ariſtaeneto* Coſs. non ſunt celebrati Seculares Ludi: immo Ludi Gladiatorii omnino ab Honorio Imp. eodem anno aboliti fuerunt.

Duo tantum Seculares Anni ex novem qui revera peracti ſunt cadunt in Centenarios Urbis. Taſſinus ex Duodecim, ut putat, Ludis (tres enim obtrudit ceteriſque adjicit, Antonini Pii, Gallieni, & Honorii) omni ope nititur ſex conferre in Centenarios Urbis Romae Conditae annos, videlicet Secundos, Tertios, & Quartos, ſubductis calculis cum Fabio Pictore, cujus Chronologicas rationes nemo ſequitur. Praeterea, Imperatorum aetate, Sextos Claudii, Octavos Antonini Pii nuſquam ſpectatos, & Decimos, ut ille vocat, Philipporum: tamen, velit nolit, manus dare cogitur ubi agitur de omnium primis collatis ab ipſo quoque in Annum U. C. 245. & de Auguſteis in An. U. C. 737. qui pariter celebratorum ſub Imperatoribus primi extiterunt; atque idem compellitur fateri de Ludis Domitiani, Severi, Gallieni, & Honorii. Octo igitur Imperatorum tres annis Centenariis opitulantur, ſi fides illi habeatur: nobis, ipſo fatente, quinque ſuppetias ferunt.

VIII. At ante Auguſtum tres, ait, Anni Seculares, Centenarii Urbis Conditae fuerunt: verum ut id conficiat ſus deque miſcenda illi ſunt omnia, quo effugium ſibi paret ad obſoletam illam, rejectamque ab Auguſti uſque temporibus, Pictoris Chronologiam: ſiquidem Varronianam Conditae Urbis epocham amplexati tandem ſunt omnes, eaque in publicis monumentis uſi. Fuerint tamen; quid illinc extundet niſi totidem Seculares Annos Centenarios fuiſſe, quot minime hujuſmo-

juſmodi extiterunt? Atqui nemo hic non videt perſpicue parum Philippis conſuli, cum conſtet ex iis quae tam ante quam poſt eorum Imperium geſta ſunt, potuiſſe pompas & ſacra Secularia alio tempore ſpectari, centenariis Urbis annis ſolemni illo impioque ritu minime celebratis. Satis ſit animum adjeciſſe ad annos Ludorum 245. 737. 841. 957. & quia Taffino arrident, ad annos quoque 1016. & 1157. atque ad annos Centenarios quibus celebrati non fuerunt, videlicet 300. 400. 500. 600. 700. 900. 1100. Ac quod pertinet ad annos 400. 700. 1100. ne hiſcere quidem poteſt eruditus ille Secularium Annorum amplificator.

IX. Reponere fortaſſe quis poſſit ſubeſſe ſemper aliquam cauſam atque impedimentum, quotieſcumque Anni Urbis Centeſimi celebrati ſunt: ſed reſpondemus nihil quoque factu facilius quam cauſam aliquam occurrere, excogitare, atque praetexere, ſi ſacra illa nolit Princeps hoc vel altero anno peragere. Exiſtimare id periculoſae plenum opus aleae? Itane vero nugaris? Ubi Philippum ſpectaculis illis minime oblectari compertum fuiſſet, futurum non dubito quin ad ineundam a Principe vel falſam gratiam, ſacrificulus aliquis, augur, aut quodvis feſtivum caput, adpetente Sacrorum tempore e veſtigio adeſſet verba Terentiani Getae uſurpans, *Phorm. A. 4. S. 4.*

Monſtra evenerunt mihi,
Introiit in aedes ater alienus canis,
Anguis per impluvium decidit de tegulis,
Gallina cecinit, interdixit hariolus,
Haruſpex vetuit ante brumam aliquid novi
Negoti incipere; quae cauſa eſt juſtiſſima.

Vereri ſe Imperator diceret ne ludi & ſacra contemnantur, ſi vix elapſis quadraginta tribus annis a Severianis tunc iterum inſtaurentur; quos etiam ludos fortaſſe, non ita multo poſt, adderet, edituros Caeſares ſi ita libitum foret annis Urbis variis; aerae autem noſtrae Chriſtianae 257. 267. 284. 294. & pergeret factum excuſare, ſi ſuperſederet ab impio ritu, exemplis ſuperiorum Principum, a quibus ut conſtat, nulla ratio eſt habita annorum, ut aeram noſtram adhibeamus, 198. 194. 188. 184. 157. 147. 94. 84. quorum annus 147. fuit Urbis Cond. Nongenteſimus. Tandem ſatis erat Caeſarem ita velle; nihil enim idcirco civitatem Imperiumve miſcere potuit: neque ingens Chriſtianorum multitudo pio Principi defuiſſet, cum ea aetate Chriſtianis omnia comple-

ren-

rentur, ne aulis quidem Imperatorum demtis, ut perſpicuum eſt ex Hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis. Ceterum longe graviora ſcelera ſuorum Principum Romani aequo animo tulerunt, neque ob Secularia Sacra turbas umquam ortas legimus, vocatoſque in jús Imperatores. Quam ergo male mereri de veri Dei cultu viſus eſt Philippus ſpectacula flagitioſa exhibens & ſacra nefaria a nullo compulſus, & quem populus ridere potius debuit, quam ſuſpicere! In ſubjecta Tabula conſpiciuntur Anni quidam Seculares celebrandi, habita ratione Ludorum Auguſti, Claudii, & Domitiani Impp. poſt Seculum, periodumve tum C. tum CX. annorum; modo Caeſares illos peragere voluiſſent.

Litt. A. C. D. indicant repeti annum a Ludis Secularibus vel Auguſti, vel Claudii, vel Domitiani.

An. U. C. 737. }
Ante AEr. Chr. 17. } Auguſtus celebrat Ludos Seculares.

An. Chr. 47. Claudius Imp. edit Ludos Secul.
An. Chr. 88. Ludi Seculares Domitiani.

An. Chr.	84. A =	100.
An. Chr.	94. A =	110.
An. Chr.	147. C =	100.
An. Chr.	157. C =	110.
An. Chr.	184. A =	200.
An. Chr.	188. D =	100.
An. Chr.	194. A =	210.
An. Chr.	198. D =	110.
An. Chr.	157. C =	210.
An. Chr.	267. C =	220.
An. Chr.	284. A =	300.
An. Chr.	294. A =	310.

X. Sed jam de primis Reipublicae Ludis quid XV. viri, quorum haec Sacra intererant, ſenſerint, animadvertamus. Et quidem non levis eſt conjectura, illos ut tempori inſervirent, neque eorum oſcitantia deprehenderetur, conjectis in Annum U. C. 737. Auguſti Ludis, praeſtitutaque Seculi periodo annorum CX. atque illinc initis rationibus ita conſtituiſſe quatuor retro Secula, ut Quinti Ludi Auguſti rite, & more majo-

majorum peragi viderentur. Petavius vir ſi quis alius in re Chronologica maxima cum laude verſatus, haec habet L. 2. *de Doctrina Temporum* cap. 77. *Quod ad XV. virorum commentaria ſpectat, in quibus Ludi Seculares per CX. annorum ſpatia digeſti ſunt, eos Sacerdotes arbitror ex ingenio atque opinione ſua intervallum ejuſmodi conſtituiſſe, ac ludos ad illos annos adnotaſſe, non ut ex veteribus faſtis didicerant, ſed quemadmodum collocandi erant, ut & poſt C X. annos redirent, & Auguſti ſecularibus congruerent. Igitur ad epocham Auguſti ſecularium ludorum intervalla direxerunt, ac primos ludos in eo anno fixerunt a quo deinceps ad Auguſteos quater CX. annorum ſpatium intercederet, ut Ludi Quinti in annum DCCXXXVII. inciderent*: Quid (malum!) iſtuc rei eſt? Nihil de Annis Urbis Centeſimis cogitant XV. viri ſacrorum hujuſmodi conſtituendorum rituum, id genus aſſertores; Philippum autem Chriſtianum Imperatorem nova quaedam religio inceſſit, & Annum Urbis milleſimum ſacris, ludiſque celebrandum curat; quod monſtri ſimile omnino videtur.

XI. Valere tantiſper juſſis XV. viris, ſi Romanorum faſtos, & monumenta conſulamus, eodem res cadat neceſſe eſt. Enimvero antiquiſſimis Reipublicae temporibus nullae fuerunt ſtatae annorum periodi, nulla rata ac certa ſeculi notio; nuſquam ſecularium annorum ludorumve vocabula ſunt uſurpata, ut ibidem ſcite obſervat clariſſimus Petavius: *Ac mihi ſane attentius de ea re cogitanti ita veniebat in mentem, ſeculares illos ludos priſcis temporibus certa nulla lege, ac definito intervallo fuiſſe redditos: nam veriora illa credimus quae antiquiſſimi Scriptores, ut puta Valerius Antias, memoriae prodiderunt, quam quae ab Quindecimviris notata feruntur*: Idem fere eſt Panvinii judicium de conſecutis Imperatorum Ludis, Libro de Lud. Secular. *Poſt Caeſarem Auguſtum ſequentes Principes ludos ſeculares ad libitum potius, & pro arbitrio quam religionis ergo, non obſervato centum, & decem annorum religioſo ordine, ſatis conſtat.* Itaque Philippi Auguſti nulla adacti neceſſitate Annum ſecularem, ejuſque ſacra & ludos celebrarunt.

CAPUT V.

Neque Antoninus Pius Philippo praeivit Anno Urbis Cond. CM. Chr. 147. Seculares Ludos celebrando; neque eos poſt Philippum edidit Honorius Chriſtianus Imperator, Anno Chr. 404. U.C. 1157.

I. SUpereſt ut expungamus ex faſtis ſecularibus a Taſſino digeſtis Annum Urbis Nongenteſimum, eumdemque vulgaris epochae 147. ab Antonino Pio, ut quidam putant, celebratum; atque Annum U. C. 1157. aerae noſtrae 404. & ſimul Chriſtianum Principem Honorium ab hac labe vindicemus. Suppetias hic quoque veniet Vir Cl. Antonius Pagius, cui non pauca accepta referimus, quaedam etiam adjicimus. Cenſorinus anno Chr. 238. luculentiſſimum libellum exaravit de *die Natali*, Seculares faſtos accuratiſſime contexens. Itaque dignus eſt ubi agatur de anno Urbis Nongenteſimo, Chriſti 147. qui cum in tenebris mices, neque ab eo provocare licet ulla ratione, ſi ſermo ſit de ludis Septimii Severi Aug. a quorum aetate prope aberat tum cum opus illud cedro digniſſimum conſcripſit, anno poſt Severiana ſpectacula Trigeſimoquarto. Noverat utique Cenſorinus, quod tum geſtum erat paulo ante quam aureum libellum lucubraret; neque memoria excidiſſe quis dixerit, niſi helleboro indigeat, quotus ſecularis annus Severianus fuerit, vocatuſque ſit, Octavus ne an Nonus: ludos enim quamplurimi Cenſorini familiares ſpectaverant, eorumque meminerant. Huc accedit cum illis quoque verſatum eſſe Cenſorinum qui anno aerae Chriſtianae 147. in Urbe degebant, ac locupletes teſtes erant rerum tunc geſtarum: ſiquidem ab anno 147. ad annum 238. quo jam grandis natu Librum de die Natali exarabat 90. anni excurrunt. Qui vero unquam potuit praeclarus Scriptor in temporum doctrina egregie verſatus in ludis Antonini Pii neglectis, & Severi prave enumeratis adeo turpiter labi? Zoſimus quoque Antonini ludos ſilentio praeterit, Nummique eos nunquam exhibent, etſi plures ſuperſunt anno U. C. 900. percuſſi.

II. Neque vero quidquam alicujus ponderis pro anno hoc Seculari aſſerendo eruunt, ex Julio Capitolino & Victore, cum alio ſpectent eorum verba, & de Antonini tantum Decennalibus ſermo ſit. Julius Capitolinus haec de Antonino Pio litteris conſignavit Seculo III. Chriſtia-

ſtiano cadente: *Ad indulgentias proniſſimus fuit. Edita munera in quibus Elephantos & Corocottas, & Strepſicerotas, Crocodilos etiam, atque Hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum Tygridibus exhibuit. Centum etiam Leones una miſſione edidit.* Adnotat Pagius ex Dione L. 76. ubi de Severi Decennalibus, & ex Pollione de Gallienis duobus cap. 8. de conſimilibus Decennalibus, Indicas animantes, aliaſque non antea viſas, Romae fuiſſe ſpectatas in iiſdem Decennalibus. Victor autem *de Caeſaribus*, *Annis*, inquit, *quibus publica egit viginti idem manſit*, *celebrato magnifice Urbis Nongenteſimo*, Circenſibus tamen, non Secularibus ludis, ſubnectit Pagius, & quidem ſplendide quod Decennalia in Annum illum Urbis caderent. Obſervat praeterea Victorem ſui interpretem eſſe: etenim agens de ludis Secularibus utriuſque Philippi, ſcripſit, *Annum Urbis milleſimum ludis omnium generum celebrant*, cum Antonini ludos omnium generum non memoret, ſed annum dumtaxat magnifice celebratum. Non tamen hic ejuſdem ponderis eſt teſtimonium Victoris, & Cenſorini multo vetuſtioris, magiſque in re Chronographica, faſtiſque Secularibus periti.

III. Nutare atque adeo cauſa cadere videbantur novi hujus Secularis anni Antonini propugnatores, ſed commodum venit illis in mentem Vigellianae Inſcriptionis, opponuntque Epitaphium Sexti Vigellii tamquam palmare argumentum, ac plane confidunt, ut nos tandem ipſi dedamus: quae quidem res illis non bene vertet. En eorum Achillem, Epitaphium videlicet quod extat apud Gruterum, & Pagium *Critic. Baron. An. Chr.* 147.

MEMORIAE
SEX. VIGELLI. AQUINAT. QUI
ANN. ATTIGIT. CENTENS
SET. ALTERUM. ET. NONAGEN
PERPET. INOFFENSA. VALETUD
EXEGIT. RELIQUOS. SEPTEM. ET. D. XIIX
DECUBUIT. ET. OCCUBUIT
NAT. LUD. SAECUL. VIII. OBIIT SEQUENT

Conturbari dictitant egregio monumento rationes noſtras: noſtras autem? immo vero Cenſorini omniumque ferme Scriptorum exiſtimantium Ludos Severi Imperatoris Octavos fuiſſe. Res, ajunt, adeo eſt perſpicua, ut nullam ei noctem cujuſvis epilogiſmi offundant; quandoqui-

quidem ſi ludi Severi Octavi extiterunt, ut ſtatuit Cenſorinus, Sextus Vigellius in lucem prodierit oportet Anno Chr. 204. obieritque Anno Chr. 247. vel prioribus menſibus An. Chr. 248. quod temporis intervallum ne quinquaginta quidem annos complectitur, cum Vigellius confecta aetate centum attigerit : atque haec qui non videt, idem quoque poterit an bis duo ſint quatuor dubitare. Ergo natus eſt Vigellius noſter An. Chr. 147. Octavis Ludis Antonini, vitaque exceſſit An. Ch. 247. Ludis Philippi.

IV. Animum tamen minime deſpondemus, & Cenſorino potius favere Vigellianum epigramma contendimus. Si Vigellii Natalem annum putant fuiſſe 147. aerae Chriſtianae, coguntur Emortualem conſignare An. Chr. 204. obiit enim ludis ſequentibus, quos celebratos omnes norunt a Severo ante Philippum, nullo relicto dubitationi loco. Excurrent igitur anni centum a 147. ad 204. cum pauciores ſint ſexaginta : quod, ſiquid aliud, feſtivum eſt & numquam antehac ne fando quidem auditum, novumque ſolertioris cujuſdam Chronologiae inventum. Itaque irriſores irridebuntur, & captos ſe dolebunt laqueis in quos alios conjicere crediderant. Quamquam autem ridentem dicere verum nil prohibet, omiſſis jocis, natum dicimus Vigellium An. Chr. 204. Octavis ludis Severianis, optime a praeſtanti Chronographo Cenſorino qui eoſdem ſpectare potuit, conſignatis; vitaque functum, decurſo centum annorum ſpatio, Anno Chr. 304. quo ludi Seculares priſco more celebrandi erant : & hac quidem ratione recte omnia habent, ac res eſt in vado.

V. Duo ſunt quae moleſtiam exhibere videantur, primum quod a Severo ad Diocletianum, praetermiſſo ſeculari Anno Philippi, excurrimus; alterum quod An. Chr. 304. ſequentes ludos antiqui illius lapidis conſignamus, cum tamen neque ulli tunc editi ſint, neque unquam alias poſt Philippeos. Sed haec non admodum magnum nobis negotium faceſſunt. Epitaphii auctor Severianos utique ludos praeterire ſibi vitio verteret, quod ad Auguſti & XV. virum praeſcriptum exhibiti fuiſſent : itaque ſequentes ludi Philipporum non legitimo, & praeſtituto tempore celebrati contemni poterant, eoſque ſiluit etiam Zoſimus. Domitianus quoque, eodem Zoſimo teſte, ineptum illum & inficetum Claudium cum anno ſuo valere juſſit, quia centenarium, milleſimumve Urbis annum nova quadam, & arcana religione ſuſpexit, ut poſtea Philippus, ſoli centeſimorum annorum cultores, & idcirco, quod ad hunc ritum pertinet, ne aſſis quidem aeſtimati.

VI. Al-

VI. Alterum etiam quod videbatur incommodum parvi ducimus: etenim Scriptores non raro deſignant tempora rebus, quae temporibus iiſdem contingere debent aut ſolent, & illinc voces mutuantur quibus tempora annoſve exprimant, quod poetis, & conſimilibus viris, eſt familiare. Hinc Virgilianus Meliboeus Ecloga 1. ariſtis aeſtates annoſque indicat, parvique refert an meſſes, ac ſegetes ullae agricolarum votis reſpondeant:

Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen
Poſt aliquot, mea regna, videns, mirabor ariſtas.

Spectare huc quoque M. Valerium Martialem animadvertunt qui haec ad vivum reſecant, dum feminae annos, Terento uſurpato, in Epitaphio pariter exhibet, Lib. 10. Epigrammate 63.

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.

VII. Martialis verba tantiſper expendamus. Non dubito quin poëta de femina agat, quae diem obierit cum ipſe ſuos exarabat libros: notum vero floruiſſe Martialem Domitiano imperante, ejuſque mortem memorari a Plinio juniore Epiſtola ad Priſcum. In feminam ſenio confectam jocatur capitulum lepidiſſimum. Haec decem liberis aucta dicitur, & gnati poſt parentis fata ſuperſtites pie eidem, priſcoque ritu, oculos clauſiſſe. Haec tametſi in adoleſcentulam non cadunt, ſpatium vitae non ita longum poſtulant: ſed Ludi Terentini bis acti, ut longaeva mulier gloriatur, & poeta in Epitaphio adnotandum curavit, ut rem ſcitu dignam, annorum minimum centum aetatem demonſtrant: peragebantur enim poſt centum ſaltem annos, rite Terentina ſacra, impia ceteroqui & ſuperſtitioſa, & ſeculares Ludi. Fuit igitur femina vieta, ſqualida, & ſilicernium. Porro Martialis aevo ſeculares Terentini Ludi Domitiani tantum occurrunt, qui nobis uſui eſſe poſſint pro aniculae hujus morte. Vel ergo appetente tempore Ludorum Auguſti ante annos centum & quatuor nata erat, obiitque ipſis Ludis Domitiani, aut paulo poſt: vel potius cenſendum eſt eleganti ea phraſi explicari certam centum annorum aetatem. Equidem praeſtat in meliorem partem trahere eruditum Scriptorem, qui nec definitam feminae aetatem vincta numeris oratione potuiſſe recte, ac dilucide exponere videtur, nec vero ſatis animadvertiſſe Epitaphii conſcribendi morem. Ludi igitur Terentini bis peracti idem ſunt Martiali atque anni

ni centum; non quia eo temporis ſpatio bis celebrati fuerint, ſed quia ex complurium ſententia nec longius intervallum, nec brevius poſcebant duo ſeculares anni. Si quis autem contendat Romani ſeculi periodum Martialis aetate centum, & decem annos complexam eſſe, dabo id lubens, & quot oportet vetulae adjiciam. Cuicuimodi ſint Ludi Vigelliani Epitaphii *ſequentes* vocati nil aliud ſunt, quam ratio quaedam ſignificandi annos atque aetatem eorum qui obierant.

VIII. Viam ſternunt quae hactenus diximus ad Claudiani verſiculos explicandos: illis enim nituntur qui Honorium Auguſtum Chriſtianum Imperatorem Seculares ludos ſpectandos exhibentem ingratiis obtrudunt. Id quidem adjumento foret vindicando ab Idololatria illiuſque temporis impudentia ceteriſque ſceleribus Philippo: ſed vereor ne dum hunc ab ea labe purum omni animi contentione oſtendere conantur, Principem illum, quem omnes Chriſtianum & de Chriſtiana Republica optime meruiſſe fatentur turpiſſimis maculis injuria adſpergant. Et quidem cum nemo veterum quidquam memoriae prodiderit de Anni Secularis celebritate ſeculo V. Eccleſiae ineunte, An. Chr. 404. aliquid majoris roboris in medium proferre neceſſe erat, praeter vatis unius verba huc vi detorta. Haec habet de ſexto Honorii Aug. Conſulatu, Annoque Chr. 404. Claudianus, vel Roma, Claudiani ore loquuta:

> *Jam flaveſcentia centum*
> *Meſſibus aeſtivae detondent Gargara falces,*
> *Spectandoſque iterum nulli celebrantia ludos*
> *Circumflexa rapit centenus ſecula Conſul.*
> *His annis qui luſtra mihi bis dena recenſent,*
> *Noſtra ter Auguſtos intra pomoeria vidi*
> *Temporibus variis.*

Cur hic quoque locum non habeat ea ratio qua interpretati ſumus *Vigellianos* ludos *ſequentes* & Martialis *Terentinos*, cum poetae maxime varios eleganteſque modos conſectentur, quibus vel certorum annorum ſpatium, vel aliud quidvis deſcribant?

IX. Annos centum exprimit Claudianus, tum totidem meſſibus, auctorem habens Virgilium Eclog. I. tum Romani ſeculi ambitu. Quid porro illinc extundant? Peractoſne ſeculares ludos? Minime id quidem: nam cum *centenus Conſul*, vel annus exhibiturus dicatur ludos *ſpectandos iterum*, ſequeretur illinc ante annos centum (Anno Chr. 304. editos ſpectatoſque fuiſſe, quod tam eſt falſum quam

quod

quod maxime. Quaero enim a Taffino, quo nullus unquam extitit, ne Romanus quidem Imperator, in hujuſmodi ſpectaculis de ſuo exhibendis atque multiplicandis liberalior (tres enim ſeculares annos adjecit ceteris in Urbe celebratis) an Chriſti Anno 304. acti ſint ludi? Nullos editos e veſtigio reponet, velit nolit, ad Chronologiam ſuam digitum intendens. Sed Claudianus dum iterum in ſexto Honorii Conſulatu An. Chr. 404. ſpectandos proponit, non obſcure ſignificare videtur, ſpectatos fuiſſe Anno Chr. 304. Minime vero, reſpondent; ſpectandi tum quidem fuerant; ſed neque celebrati ſunt neque ſpectari potuerunt. Atqui par pro pari rependam, & ſpectandos fuiſſe dicam, ex Claudiano, ludos Anno Chr. 404. cum tamen neque ſpectati fuerint neque peracti. Nihil attinet diutius hic immorari; neque Honorius defenſoribus eget. Maneat igitur Chriſtianum Principem religioni habiturum fuiſſe ſecularem Annum priſco Romanorum more celebrare, Honoriumque Imp. Philipporum cauſae non favere: nullum vero centeſimum Urbis annum ab Antonino Pio peractum ſecularibus ſacris ludiſque; ſed ab uno Claudio ante Philippum, atque hunc Imperatorem cum filio, nemine compellente impia ſacra peregiſſe. Et quidem albus an ater fuerit Philippus quaerere per me licet eruditis viris; bene etiam, ſi volunt, de Philippo ſentire, modo fateantur, eum nulla neceſſitate adactum ſecularem Annum celebraſſe, qui Millenarius Urbis fuit, cum Antoninus Pius Nongenteſimum non celebraſſet; neque Honorius, aut ullus Chriſtianorum Principum, ludos conſimiles poſtea ediderit.

X. Nonnulla adjiciam de Gallieni Ludis: nam hos quoque bonus Taffinus nobis obtrudit. Enim vero in Opere de Anno Ludiſque ſecularibus P. 2. caput 13. ſic inſcribit: *De ludis Gallieni Imperatoris qui numero Undecimi ſunt, ſi facti fuerunt*: Editos autem putat veroſimiliter Anno U. C. MXVI. Chriſt. AErae 263. Tota errat via; neque facti fuerunt, neque Undecimi ſed Decimi extitiſſent, quandoquidem nullos ediderat Antoninus Pius. Fatetur altum apud Veteres Scriptores ludorum hujuſmodi eſſe ſilentium, *Nulli* inquit initio capitis illius, *auctores quod ſciam agunt de ludis ſecularibus editis a Gallieno, & Valeriano Imperatoribus*. Itaque ad nummos confugit ſed inauſpicato: neque enim ludos ſeculares tunc ſpectatos praeferunt, quamquam in averſa parte legatur SECULARES AUG. luditque ipſe cum id elicit ex *cervi* qui illic viſitur diuturna vita, quae, ait, centum eſt annorum. Nihil ad rem. Diuturnius

nius etiam Regnum aſſentatores Principi adprecentur, ac ſeculo minime brevius, annoſque CX. ex XV. virali ſententia; nulla tamen Anni Ludorumque ſecularium veſtigia comparent; Nihilque unquam ineptius Roma ſpectaret, elapſis vix tribus luſtris a Philippeis ſacris: niſi feſtivus aliquis Princeps eos exhiberet poſt unius dumtaxat luſtri intervallum;

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

XI. Miror Taffinum in Tabulas ſuas non retuliſſe Annum ſecularem Galli Imp. Quamquam enim Anno Chr. 253. Gallus occubuit, quadriennio poſt caedem Philipporum, extant nihilominus ejus numiſmata, hiſce verbis adſcriptis SAECULUM NOVUM apud *Begerum* in Tab. 6. Fig. 6. Theſauro Palatino, Pagio monente ad An. Chr. 253. num. 15. Profecto ſi quidpiam ſimile de Gallieno noſter adinveniſſet, rem plane ſe confeciſſe jactaret, quamvis injuria. Nullus enim adeo deſipuit, ut celebratum a Gallo Annum ſecularem cogitaverit. Alios profert conſimiles nummos percuſſos altero, tertio, quarto, quintoque anno poſt Philipporum ludos J. *Harduinus* in Diatribe *de nummo Gratiani Auguſti*, pag. 503. *Oper. Select.* edit. Amſtelodam. An. 1709. An autem haec in nummis hujuſmodi oſcitanter inſculpta ſint a monetariis, an potius quia paulo ante *novum ſeculum* inchoatum erat, aliorum eſto judicium. Conſtat nullos per ea tempora ludos ſeculares celebratos; ac longe diverſa eſſe illa *ſeculares Auguſti*. Superſedere igitur potuit a proferendo Trebellii Pollionis loco, cum diſertis verbis memoret non annum ſecularem, ſed *Decennalia*. Illud tantum recte addidit Capiti Tertiodecimo ad umbilicum deducto: *Certiora de illis ludis aliquando fortaſſis me peritior quiſpiam inveniet*. Quod ad me pertinet Taffinum eruditum ceteroqui virum plurimi facio; ſed ſi quod ſentio libere eloqui mihi fas eſt, certiora de illis Gallieni ludis numquam ſpectatis, me jam inveniſſe non dubito.

C A-

CAPUT VI.

Alia contra Philippos afferuntur. De Perſecutione Alexandrina; De Philipporum Apotheoſi & moribus: Difficile ab Idololatria vindicari.

I. Quamquam Philippus Eccleſiae bellum non indixerit, lenique in Chriſtianos animo fuerit, nihilominus poſtremo ejus Imperii anno ſaeviſſima Alexandriae graſſata eſt perſecutio ex motu populari orta; unde conjicimus, ne ſupremo quidem vitae regnique ſui tempore ab Ethnica ſuperſtitione abhorruiſſe; certe nulla Chriſtianae pietatis ſigna edidiſſe, cum diu Eccleſia vexata fuerit, nec quidquam opis illi labanti Imperator contulerit. Egit de hujuſmodi clade S. Dionyſius Alexandrinus tum Epiſcopus, teſtis oppido locuples, Epiſtola ad Fabium Antiochenum Antiſtitem, apud Euſebium L.6. H.E. cap.41. ubi de hac Perſecutione & de Edicto Decii poſt ipſam vulgato diſſerit: *Nequaquam ex Imperatoris Edicto perſecutio coepta eſt quippe quae integro anno anteverterat.* Imperator de quo heic ſermo eſt, Decius fuit, & Perſecutio haec prior ad Philippi tempora eſt revocanda, cum Martyribus, quorum meminit Dionyſius. Sed poſtquam maximis calamitatibus conflictatam Alexandrinam Eccleſiam conqueſtus eſt, cunctis in capitis fortunarumque diſcrimen vocatis populatiſque, ſubjicit: *Et haec quidem diu viguerunt ad hunc modum. Secuta deinde ſeditio & bellum civile miſeros excipiens, crudelitatem qua in noſtros graſſati fuerunt in ipſos mutuo convertit. Ac nos quidem paulululum reſpiravimus dum illorum ceſſaret furor. Sed continuo Imperii illius erga nos benigniſſimi mutatio nobis nuntiata eſt, & graviſſimus nobis minarum terror intentabatur.*

II. Hanc Perſecutionem inter VII.^{m} ut ille vocat, Maximini, & VIII. Decii Ruinartus quoque agnoſcit, Praefatione in Acta Primorum Martyrum ſelecta, quam ſeditioni turbiſque populi Alexandrini novis rebus facile ſtudentis, tribuendam admonet. Et quamvis Pearſonus in Annalibus Cyprianicis furere coepiſſe cenſeat Paganos Anno Chr.249. Pagius ejus initia revocat ad ſuperiorem annum 248. illud uterque obſervant ex litteris Dionyſii Alexandrini ab Euſebio prolatis L.7. H.E. cap.22. Alexandrinam Eccleſiam variis injuriis affectam ante

Paſcha Anni Chr. 249. quo pii Chriſti cultores vexati & extorres non in ſacra aede, ſed in deſertis locis, navibus, carceribus, ſtabuliſque feſtum diem celebrarunt. Cum ergo ante Deciana tempora & benigniſſimi Imperii mutationem inducias memoret Dionyſius, & ante illas diu afflictas res Eccleſiae ἐπιπολὺ pro certo habendum eſt, pluribus menſibus vel anno circiter ante Philipporum necem Alexandrinas turbas exortas fuiſſe. Sane ab exordio hujuſce Perſecutionis ad Edictum Decii Eccleſiae exitiale, vel ſolidus annus, vel potius aliquanto amplius ſpatium interjici conſtat. Decius autem ſtatim ac habenas Imperii moderari coepit, aeſtate Anni Chr. 249. Philipporum & Chriſtianorum ſimul hoſtis infenſiſſimus, impiam legem juſſit, furiiſque actus Eccleſiam funditus evertere moliebatur: certe Sanctiſſimum Romanum Pontificem Fabianum, menſe Januario, An. Chr. 250. capitis damnavit, Conſul ipſe iterum cum Annio Grato, ut antiqua Eccleſiae monumenta palam faciunt. Rem ipſam putavit Oroſius Hiſtor. L.7. cap.2. *Idem continuo, in quoſe etiam ob hoc Philippos interfeciſſe docuit, ad perficiendos interficiendoſque Chriſtianos, ſeptimus poſt Neronem feralia diſperſit Edicta.*

III. Atque heic quidem religioſum illum piumque Philippi ſub mortem ſaltem animum, quem jactant, deſideramus. Diu ſuppliciis Chriſtiani vexati ſunt, & Imperator Chriſti cultor altum dormiens non excitatur ut praeſentem opem ferat in tanto diſcrimine conſtitutis: nam nonniſi novis turbis exortis priores fluctus compoſitos fuiſſe ex Dionyſio calamitatum minime experte audivimus. Quid ſibi, quid Reipublicae metuebat Caeſar? Scindi in contraria ſtudia civitates propter ſacra vel alia quaevis non admodum expedit: Principes autem etiam Ethnici probro ſibi non duxerunt opitulari Chriſtiano Populo qui pacem ubique conſectabatur, Magiſtratibus obtemperabat, & ad Evangelicae legis praeſcriptum mores ſuos exigebat. Non ita multo poſt Philippos, Gallienus Imperator pacem Eccleſiae reddens, Chriſtianos Antiſtites tranquillitate frui voluit, ad eoſdem ſcribens, *Reſcripti noſtri forma uti poteſtis, ut nullus vobis deinceps moleſtiam faceſſat.* Euſebius H.E. L.7. cap.13. Seculo vero ſuperiore Antoninus Pius vel potius M. Aurelius, datis ad commune Aſiae litteris, motus Paganorum compeſcendos eſſe ſanxit, quamquam Paganus, ſtatuens Chriſtianos *nulla moleſtia afficiendos, niſi forte contra ſtatum Imperii Romani aliquid* moliri viderentur, ut Euſebius nos admonet L.4. H.E. cap.13. ex Melitonis Sardenſis Eccleſiae Epiſcopi luculentiſſima Apologia.

IV. Sed

Digitized by Google

IV. Sed praeſtat nonnulla cum Euſebio H.E. Lib.4. cap.26. delibare ex praeſtantiſſima Apologia Melitonis M. Aurelio Imperatori nuncupata Seculo Chriſtiano II. *Imperitiam illorum correxerunt piiſſimi parentes tui frequentibus reſcriptis, objurgantes eos qui adverſus Religionis noſtrae homines novi aliquid moliti eſſent. Inter quos avus tuus Hadrianus, cum aliis pluribus, tum Fundano Aſiae Proconſuli, litteras dedit. Pater quoque tuus, quo tempore cuncta ſimul cum ipſo adminiſtrabas, ſcripſit ad civitates ne contra nos tumultus concitarent, nominatim ad Lariſſacos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Graecos. Te vero, quippe qui idem quod illi de nobis ſentias, immo etiam longe humanius atque ſapientius, tanto magis confidimus omnia eſſe facturum quae rogamus*. Nonne multo magis adjumento eſſe debuit Dei Templo quod fatiſcere videbatur Chriſtianus Princeps Philippus qui longe melius de Eccleſia ſentiret? Plane confidere neceſſe erat praeſidio illi futurum ne iniquior eſſet ejus conditio ſub Auguſtis veri Dei cultoribus: atque haud ſcio qui nodus hic vindice dignus ſolvi queat. Et quamvis ignotas fortaſſe nobis cauſas praetexant, cum ſatis idoneae in ejuſmodi rebus difficile & perraro contingant; ſatius exiſtimaverim Hadrianum, Antoninum Pium, & M. Aurelium, quod pertinet ad Edicta pro Eccleſiae tranquillitate, Philippo praeferre. Illud veriſimillimum videtur, Philippum neque Chriſtianum habitum ab Alexandrinis ſupremo Imperii anno, quo Martyrum in AEgypto caedes conſignatur, neque talem qui Eccleſiam plurimi faceret, & in ſuam clientelam ſuſcepiſſet.

V. At continuo, patrata caede Philipporum, ira in eorum familiares inflammatus Decius bacchari coepit in Chriſti Eccleſiam. Jam de Oroſio addubitare non licet. neque de Euſebio eo antiquiore, quod haec habeat L.6. H.E. cap.39. *Philippo interim cum ſeptem annos regnaviſſet, Decius, qui prae odio adverſus Philippum perſecutionem intulit Eccleſiae*. Verum hinc tantum conficitur Philippi Imperium non fuiſſe Chriſtianis exitio, cum quibus humanius ſe geſſerit; quapropter Dionyſius in Epiſtola ad Fabium Antiochenum vocat illud, quod ad Principes ſpectat, benigniſſimum. Facile autem hunc ſcrupulum evellimus, & Perſecutioni Decii Perſecutionem Maximini opponimus: ſiquidem cum eodem Euſebio animadvertimus Maximinum interfecto Alexandro Imp. optimo Principe, furere in Eccleſiam coepiſſe ob conſimilem cauſam, quamvis Alexander ad Chriſtiana caſtra numquam tranſierit: *Interea caeſo Alexandro Imperatore, qui tre-*

decim

decim annis regnaverat, in ejus locum ſuccedit Maximinus, qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiarum Antiſtites, utpote Evangelicae praedicationis auctores, interfici juſſit. (*Euſeb. L.6. H. Eccleſiaſt. cap.28.*) Hiſtoricus ſui ipſius interpres optimus nos docet feralia immanium Principum Edicta promulgata adverſum Eccleſiam, quandoque propter Imperatores qui numquam Chriſtiani fuerunt, quemadmodum de Alexandro Mamaeae filio res eſt explorata. Elicere hinc tantum fas erit, non paucos qui Chriſto nomen dederant cum Philippis verſatos eſſe, eoſdemque apud Imperatores gratia valuiſſe, quod illis lubentes damus: ſed non idcirco antecellere videbuntur Caeſares noſtri, cum aliis Ethnicis, tum vero maxime Valeriano Idolorum cultori, & poſtea perſecutori Eccleſiae, de quo dum Imperium auſpicaretur, haec ſcribit Dionyſius *Epiſtola ad Hermammonem* laudata ab eodem Euſebio H.E. L.7. c.10. ejus tunc in Chriſtianam Rempublicam merita commendans: *totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Eccleſia eſſe videbatur.*

VI. Ut autem magis magiſque pateat Philippum Ethnicorum potius rituum, quam Chriſtianae Religionis rationem habuiſſe, & Idololatris morem geſſiſſe, animadvertimus quam impenſe colere viſus ſit Gordianum juniorem Imp. quem fraude ſimul & crudelitate maxima obtruncavit. Senatus, ut auctor eſt Julius Capitolinus, Gordianum inter Deos retulit: noſter autem veteratoria arte, neque imagines ejus ſuſtulit, neque ſtatuas depoſuit, neque nomen abradendum curavit, ſed *Divum ſemper appellans, etiam apud ipſos milites, cum quibus factionem fecerat, ſerio animo, & pellegrina calliditate veneratus eſt.* En quomodo male partum Imperium, fraude videlicet, ac ſanguine optimi Principis, quem necavit, tueretur. Profecto Gordianum tanta immanitate proditum atque caeſum *Divum ſemper appellare*, & *ſerio* ut videri voluit *venerari* neque hominis eſt qui nihil vereatur nova ſacra amplecti cum populi ſuperſtitione pugnantia, nec vero Chriſtiani. Nonne id eſt ſub larva fictae cujuſdam religionis ad populi gratiam aucupandam, Reipublicae & beneficentiſſimi Principis memoriae turpiter illudere, humanis Diviniſque omnibus rebus poſthabitis atque contemtis? Non me fugit a Chriſtianis quoque Imperatoribus vocatos quandoque Divos Ethnicos Principes: Sed non tanti intereſt vulgi mores unis vocibus uſurpare, quotieſcumque nulla ſubeſt pravae opinionis ſuſpicio; notum quippe penes uſum arbitrium eſſe, jus & normam

mam loquendi. Denique ubi ſermo ſit de Imperatoribus qui certa ac plurima variae pietatis argumenta protulerunt, & Orthodoxos fuiſſe nefas eſt dubitare, non ego paucis offendar maculis. Sed longe diverſa eſt cauſa Philippi, & aliud praſeferunt, Gordianum a Senatu Apotheoſi donatum, ariſque auctum, poſt nefariam caedem, colere, ac venerari, & *Divum ſemper appellare*.

VII. Laborant adverſarii & vix ullos perſpiciunt exitus cum ventum eſt ad Philipporum Apotheoſim; nam illam peractam ex Eutropio intelligimus, L.9. Hiſt. Rom. *Annis* inquit *quinque imperarunt, inter Divos tamen relati ſunt*. Vela contrahant oportet qui illis favent, ac fateantur clanculum tantum pios, nihilque palam efficere auſos quod animum ab Ethnicorum ſacris alienum proderet; non leve ſine contrariae ſententiae incommodum. Etenim nemo non ſentit, eos qui ita rationes deputant, neque extra neque intus quidquam ſine vitio relinquere. Quid ita? nempe quia in tanta veterum Romanorum ſuperſtitione non poterant Caeſares noſtri deliteſcere, neque ſacris omnibus abſtinere & Deorum cultores videri, neque cum Ethnicis ritibus Evangelicam Religionem conjungere. Enim vero quodnam, amabo te, turpius monſtrum, quam utriuſque Religionis abſonum foedus? Huetius, Tillemontius, Fleurius, eruditi viri, immo quotquot norunt quid diſtent aera lupinis, Philippos Divinis honoribus conſecratos ab impiis Idolorum cultoribus peſſime dolent, quod id argumento ſit Arabas noſtros non abhorruiſſe a Numinibus illis, inter quae fuerunt tandem relati.

VIII. Equidem novi Apotheoſin ludum quibuſdam fuiſſe, vel quia rem penitius introſpexerunt, & iſtiuſmodi ſtrophas ad fucum rudioribus faciendum invectas riſerunt, vel quia pravis opinionibus imbuti animorum immortalitatem omnemque religionem ſuſtulerunt. Ac Hylam quidem formoſum adoleſcentulum flumine merſum, a Nymphis abreptum dixerunt veteres, & veluti Numen aris, victimis, & Sacerdotibus augendum ſanxerunt, quo Herculem moerore confectum ſolarentur. Huc quoque ſpectat Epitaphium eleganter concinnatum apud Cerdam in Eclog.VI.Virgilii v.43 *Fundi hujus Dominus infans hic jacet, ſimilis Deo. Hunc ante oculos parentis rapuerunt Nymphae in gurgite. Monumentum quod filius patri facere debuerat, ipſe fecit*. Nero Imp. boletos Claudio Auguſto exitii cauſam *quaſi Deorum cibum*, Graeco proverbio, laudabat, teſte Svetonio in *Nerone*, quod ejuſmodi epulis veneno infectis Claudius extinctus Apotheo-

theoſim ſit adeptus, ipſe vero Imperium. Claudii tamen vecordiam atque ſtupiditatem perſtringens Seneca pro illius Apotheoſi lepide celebrat *Apocolocynthoſin*, ac ſi in cucurbitam potius poſt fata, quam in Numen aliquod migraverit. Morem hunc prae oculis habuit Veſpaſianus, morte impendente ludens: *prima quoque* ut ait Svetonius idem in Veſpaſ. *morbi acceſſione, ut* (*inquit*) *puto, Deus ſio.*

IX. Quicquid id eſt, plane conſtat ex Paganorum inſtituto altius repeti originem antiqui ritus, & pleraſque gentes ſuperſtitionis hujus contagione infectas fuiſſe, ut de Lacedaemoniis vetus auctor Herodotus tradit, *Clio*, ſive Lib. 1. *Ita illi ad rectum vitae genus translati ſunt a Lycurgo, quem vita defunctum, delubro aedificato, egregie colunt* ἱρὸν εἱσάμενοι σέβονται μεγάλως. Quapropter Plinius in *Panegyr.* paucis plura complexus Trajanum hac de cauſa laudibus effert: *Dicavit Coelo Tiberius Auguſtum, ſed ut Majeſtatis Numen induceret, Claudium Nero, ſed ut irrideret, Veſpaſianum Titus, Titum Domitianus, ſed ille ut Dei filius, hic frater ut videretur. Tu ſideribus patrem intuliſti, non ad metum civium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis.* Quid rudis populus credat, cum doctis viris haec excidant?

X. Auguſtus, ſtatim ac exceſſit e vita, *Templum & coeleſtes religiones decernuntur*, ait Tacitus Annal. L. 1. nec mirum quando illi adhuc viventi, & Urbi Romae id excitarunt Pergameni. Et quamquam hic quoque uxor Livia Auguſta dolis probe inſtructa, populo imponere niteretur, praetorium virum pretio corruptum advocans qui jurejurando ſancte teſtaretur, ſe effigiem cremati Imperatoris vidiſſe Coelum recta petentem, ut Proculus de Romulo dixiſſe fertur: maximopere tamen Auguſtum Romani coluere, quibus altius infixa haerebat de nova ejus Divinitate opinio. Itaque perſaepe Sacerdotum Auguſtalium monumenta meminerunt, ſibique Livia, quamvis femina, gloriae duxit Sacerdotio conjugis initiari: hinc Ovidius IV. de Ponto.

Stant pariter natuſque pius, conjuxque Sacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

Quid? quod Falanio & Rubrio crimini datum memorat Tacitus adſciviſſe in Collegium Auguſti Caſſium mimum, violatum perjurio ejus nomen, ſtatuamque mancipatam, objectamque publice Cyzicenis incuriam caeremoniarum ejus Numinis. Dignum quod adnotetur eſt, idem-

Idemque L.4. Annal prodit Tacitus, Agrippinam magno atrocique animo feminam, & nobilitate generis tumentem, Tiberium adiiſſe, ut de injuriis, quibus peti Auguſti domum putabat, expoſtularet, illumque *forte patri ſacrificantem* reperiſſe: ira enim incenſam Tiberium pupugiſſe, atque adeo exprobraſſe eidem narrat clariſſimae gentis injurias: *non ejuſdem, ait, mactare Divo Auguſto victimas, & poſteros ejus inſectari; non in effigies mutas Divinum ſpiritum tranſfuſum, ſed imaginem veram coeleſti ſanguine ortam intelligere diſcrimen, ſuſcipere ſordes.*

XI. Conſecutis ſeculis ceteri quoque Imperatores conſecrabantur religioſis Ethnicorum caeremoniis, quas fuſe perſequitur graviſſimus au-
ctor Herodianus Seculo III. Gordiani (quem Philippus excipit) aeta- Tab.6.
tem attingens, in funere Severi Imp. meminitque pulvinarium, aqui- 7.8.
lae, e ſumma pyra magnifice extructa, emiſſae, aliorumque rituum, ſeq.
paucis ante Philippos annis, uſurpatorum. Patere igitur arbitramur Ethnicorum Apotheoſim teſtimonium eſſe omni majus exceptione Idololatriae, quam palam complexus erat Princeps aris & Divinitate auctus. Quanam ergo ratione referri potuerunt inter Divos Philippi ſi ab Ethnicis ſacris abhorruiſſent, vel quidquam Chriſtiani ritus in iiſdem deprehenſum fuiſſet? Extabat Lex qua vetabatur nequis peregrinam quamvis religionem in Urbem inveheret, teſte Tullio 2. de Legibus. Sed omnium maxime Religionem noſtram evellendam putabant Romani, quod non tam Religio quam impietas & omnis Numinum cultus peſtis ac labes videretur Idololatris, vulgoque traducerentur Chriſtiani tamquam impii & athei, & Romanorum Graecorumque Deorum hoſtes & exitium, ut patet ex Juſtino Athenagora, & compluribus illorum temporum monumentis. Socrates quoque minus deſipiens, atheiſmi poſtulatus fuit cum Graecorum ſimulacra naſo ſuſpenderet adunco, & Ariſtophanis atrocibus jocis calumniiſque laceſſitus, ac demum extremo ſupplicio affectus, quod longe melius de Divina immortali praeſtantiſſimaque natura ſentiret.

XII. Praeterea ſatis noſtris non erat Idololatriae repudium remittere: Eccleſiae quoquoverſus pomoeria dilatanda curabant, & ut orbis terrarum qua late patet, valere juſſis Idolis, Chriſti ſacra ſuſciperet, atque ubique terrarum vera pietas altas radices ageret, omnem nervum intendebant. Idcirco Chriſtianam Religionem Pagani, non tantum ut peregrinam inſectabantur, verum ut avitae etiam omniſque religionis perniciem certumque excidium. Hinc factum ut Tacito

Lib. XV. Annal. *exitiabilis ſuperſtitio* dicatur, Svetonio in Nerone *ſuperſtitio nova ac malefica*, Plinio in celebri ad Trajanum Epiſtola *ſuperſtitio prava*, *& immodica* : qui omnes Scriptores Seculo II. Eccleſiae florebant. Athei & nihilominus ſuperſtitioſi dicebantur Chriſtiani, quippe qui Chriſti legi obtemperabant, paratique erant pro ea tuenda vitam cum ſanguine profundere; & impia aliorum ſacra excindere, fundituſque delere omni ope nitebantur. Ad haec ut Imperatorum hoſtes Chriſtiani inſimulabantur, quod pro ipſis ſacrificia fictis Numinibus nollent offerre : *Deos*, *inquitis* ajebat Tertullianus cap. 10. Apolog. *non colitis*, *& pro Imperatoribus ſacrificia non impenditis: itaque ſacrilegii & majeſtatis rei convenimur*; *ſumma haec cauſa*, *immo tota eſt*. Nulla ergo ratione fieri potuit ut Philippis Divini honores tribuerentur in Urbe, niſi Idololatras potius quam Chriſtianos egiſſent; quando utrumque ſimul comminiſci tam ineptum eſt quam quod maxime.

XIII. Tandem ſublata fuit cum Idolorum cultu Apotheoſis, neque in Chriſtianorum Principum funeribus amplius ſpectata. Non enim inſtauratum impium ritum exiſtimamus ob nummum Iſaaco Voſſio exhibitum, ut idem narrat in Notis ad verba Svetonii de Claudio, *in numerum Deorum relatus* : *Quod vero miremur in Numiſmate veteri habemus & Conſecrationem Conſtantini M. licet Chriſtiani. In eo anima ejus linteo velata*, *cetera nuda in Coelum vehitur quadrigis*, *brachio exerto excipitur a brachio coelitus porrecto*; *ſubſcriptum vero CONS. hoc eſt*, *Conſecratio*. *Sed hanc Chriſtiano ſenſu accipere malo*; *non de immortalitate in terris a mortalibus collata*, *ſed de Coelorum gloria donata Divinitus*. Nullum heic veteris ſuperſtitionis veſtigium, quod veri Dei cultum dedeceat laedatve; ac nihil impedit quominus a Chriſtianis percuſſus ſit nummus conſimilis Tab. 6. Fig. 8. ubi ubi extet. Chriſtianus Populus adeo Maximum Principem verae Religionis ſtatorem poſt obitum coluit, eaque edidit obſervantiae argumenta, ut Philoſtorgius Arianarum partium Scriptor contendat Idololatriae ſcelere ſe obſtrinxiſſe. Sed Philoſtorgium caſtigat Pagius : illud tamen pro certo habendum celeberrimam fuiſſe Conſtantini memoriam, qui de Chriſtiana Republica optime meruit, parta ipſius tranquillitate, poſt tot caedes injuriaſque acceptas: peragique etiamnum quotannis in Eccleſia Graeca feſtum diem in honorem tanti Principis. Quod ſi Ethnicorum aliqui Conſtantinum tamquam in Deorum ſuorum numerum relatum celebraſſent, Nummis etiam cuſis, non illinc effi-

cere-

ceretur palam & publica auctoritate ejus in Urbe Apotheoſim celebratam fuiſſe. Verum nemo unus eſt qui neſciat Philippos ab Ethnicis, ac ſi Ethnici fuiſſent, Apotheoſi conſecratos.

XIV. Quoniam vero nominis immortalitatem ac Divinos honores adepti videri quibuſdam poſſint ob morum integritatem inſignem, qualis Chriſtianos Auguſtos decet, vel prodit; animadvertimus id minime locum ſibi vindicare in Paganorum Numinibus, turpibus, probroſiſque voluptatibus infamibus, omnique vitiorum ſcelerumque genere contaminatis: neque in Principibus quibus Divinitas precario collata fuit quaerendas eſſe virtutes, quarum eorum etiam Dii erant expertes. Atque utinam extremo ſaltem Imperii tempore, non Circaeo aliquo poculo, ſed Divinae Religionis ope, in alios viros mutati fuiſſent, ac ſero ſaltem, ut quondam Phryges, Arabes noſtri ſapere viſi eſſent! Sed dum mentis aciem intendimus in priora parentis flagitia, in ejuſdem gnatique Sacra Secularia, in Alexandrinam cladem, & in Apotheoſim, cui fidunt, impetrare a nobis non poſſumus ut melius de illis ſentiamus.

XV. Quotus enim quiſque eſt qui neſciat Romae quondam relatos inter Deos bipedum nequiſſimos, ariſque aucta impura ſcorta, carnifices truculentiſſimos inceſtas nuptias, & quaevis flagitia, ita ut a Satyrographo ſe irrideri conqueri poſſint AEgyptii quod crocodilum immanem belluam, & vile quodvis olus ſuſpicerent,

O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis
Numina!

Nam Romanorum Dii ex olenti obſcoenoque fornice, in Coelum continuo Apotheoſis beneficio migrabant; & ſcelera quolibet monſtro multo turpiora in Urbe ſanctiſſimis ejus gentis religionibus colebantur. Nonne C. Caligula Druſillae ſuae Divinum cultum tribuendum ſanxit, ſtatuas, aras, ſacraſque aedes dedicavit (teſtibus eruditis, quos apud Tiburtes vidimus, lapidibus) ſorori videlicet inceſtae, pellici, ac conjugi? Praetereo Juliam Titi Imp. filiam, a Domitiano patruo Divis adſcriptam, & utramque Fauſtinam cum ingenti dedecore Templis, Sacerdotibus, Divinitate donatas, Antinoumque praeſtanti adoleſcentem forma ab Hadriano turpiter conſecratum. Commodus ille Imperator, quem Senatus populuſque, ut necatum audivit, ingenti laetitia delibutus patriae hoſtem vocavit, parricidam, carnificem Senatus, necatorem civium, impurum gladiatorem, ſaeviorem Domitiano, impuriorem Nerone, peſtem tandem Reipublicae, & hominum Deum-

que hoſtem nequiſſimum, Apotheoſi donatus eſt a Severo, addito flamine Herculeano Commodiano, inſtitutaque celebritate feſti diei ejuſdem natalis.

XVI. Haec eo perſequuti ſumus, quod Philipporum Apotheoſin in meliore lumine collocent; patet enim ritum illum eorum Religioni obeſſe, mores autem minime juvare. In pauciora utique contrahi omnia poterant, & ſtrictim attingi: ceterum nec injucundum ſcitu, nec vero ſupervacaneum fuerit animum adjicere ad Chriſtianae Eccleſiae propagationem atque doctrinam, cujus ſanctitas, caſtitas, Divinitas aciem omnem perſtringit. Furentibus populis, & Magiſtratibus nebulones illos, & humani generis dedecora Numina (malum!) inſano ritu conſtituta, exprobrarunt Chriſtiani, mortem pro veritate occumbere dulce, & decorum exiſtimantes; effeceruntque tandem ut aris ſtatuiſque disjectis, delubra vel igni abſumerentur, vel ſolo aequarentur, vel meliore ritu expiata in verae pietatis domicilia converterentur. Qui pridem ad impias flagitioſorum Numinum aedes abrepti compellebantur, thure iiſdem ac victimis rem ſacram facere, priore ea loco deturbarunt; Idolis autem exulare juſſis coluntur ipſi; non quia Martyribus vel Templa excitentur, vel ſacrificia exhibeantur, quae nefas eſt niſi vero Deo offerre, ſed quia egregie vindicarunt unius Dei cultum, majeſtatemque indignis modis habitam a Divinitatis hoſtibus, & contemtoribus. Non tamen ſine delectu augebantur honoribus longe ab impia Apotheoſi diverſis Heroes noſtrates, ſed qui ab Epiſcopis probati erant, & Martyres *vindicati* dicebantur, in Eccleſiaſticas tabulas olim referebantur. Nunc autem multo etiam diligentius plurium annorum ſpatio eorum Acta expenduntur; & nova ſanctiſſimae Romanae Eccleſiae ceterarum principis Diſciplina, veterem hic longo poſt ſe intervallo relinquit. Sed haec ad vivum reſecat in praeclaro Opere *de Sanctorum Canonizatione* Cardinalis Ampliſſimus *PROSPER LAMBERTINUS* Archiepiſcopus Bononienſis, qui omne tulit punctum, immortali ſane Chriſtianorum Heroum, Eccleſiae, & nominis ſui gloria. Temperare autem mihi non potui a laudibus Viri longe maximi atque doctiſſimi, cum ei obſtrictum me ſentiam ob collata ſaepius beneficia.

XVII. Age vero, ut e diverticulo in viam de qua jure tantiſper defleximus, proferantur in medium Philippi res geſtae, ut Divi hujus Auguſti praeclara facinora cuivis pateant. Leges, ajunt, quaſdam juſſit Chriſtiano Principe dignas, contra poëtas maledicos & impuden-

tes,

tés, & contra execrabile quoddam genus turpitudinis flammis ultricibus coërcendae. Itane? Nihil ergo rectae rationi conſentaneum Ethnici Magiſtratus geſſerunt unquam? nullaſne niſi flagitioſas leges tulerunt? Equidem ob legem adverſus impuratos quoſdam non minus commendare oportet Alexandrum Mamaeae, qui prior de illa edenda cogitaverat, quamvis veritus ne alia contingerent ſcelera id minime praeſtiterit, cum Philippus poſtea ſuperſtitione quadam adactus, ob monſtrum in ſue ſpectatum, edicto nefarium ſcelus vetuerit. Lampridius haec de Alexandro Ethnicorum Caeſarum optimo memoriae prodidit: *Habuit in animo ut exoletos vetaret, quod poſtea Philippus fecit: ſed veritus eſt ne prohibens publicum dedecus in privatas cupiditates converteret, cum homines illicita magis poſcant, prohibitaque furore perſequantur*. Lampridium, qui conſulet intelliget quantum averſaretur Alexander perditos homines qui turpes quaſvis libidines conſectabantur, & propudia illa piſtrino & cruce digna, quae vulgato corpore quaeſtum faciebant.

XVIII. Aliud igitur nihil Princeps hic tuus, quem in Coelum evehis, praeclare geſſit? Cedo ſi quidpiam ſupereſt. Nihil prorſus, quamquam ejus vindices omnia penitius ſcrutati fuerint. Quid? Nonne reportatam etiam de paucis Carpis victoriam laudibus extulerunt veluti inſigne (& tantum non Chriſtianae Religionis) tropaeum? Ajunt enim id ſilentio obvolvere Paganorum monumenta ob invidiam, qua Chriſtianus Imperator flagrabat. Neſcio quid impedimento fuerit, quominus conſpicerent Zoſimi coloribus depictam hanc quam tanti faciunt expeditionem in Carpos loca prope Iſtrum populantes. Nec tamen niſi triobolaris triumphus fuit, ut ex eo diſcimus, Libro 1. Carpi enim fuſi bellum rurſus inſtaurarunt, nec iniquis omnino conditionibus foedere percuſſo, receptui cecinerunt. Nihil igitur praeclarum habent quod adjiciant; adſunt vero nobis, ſi vicem rependere libeat quae Philippo parenti objiciantur; doli qui Reipublicae exitio fuerunt, ingrati animi vitium, crudelitas, caedes ampliſſimorum optimorumque virorum, & Principum.

XIX. Ac praeclare ſecum agi putaret Philippus ſi nulla alia foret expoſtulandi cauſa, quam vix quidquam laude dignum ipſum geſſiſſe: ſed mores turpem ejus vitae notam inurunt, & ab Ethices Evangelicae candore atque lenitate quam longiſſime abſunt. Novimus meliora quandoque nos videre atque probare, ſequi nihilominus deteriora, reluctante quamquam in intimis penetralibus animo uberiore lumine perfuſo.

Digitized by Google

ſo. Sed aliud eſt de abdita alicujus Religione judicium ferre ex anteactae vitae inſtituto, & iis quae ſub oculos cadunt. Demum huc adverſarius nos vocat Caeſaris ſui modo leges jactans, modo beneficia in Eccleſiam collata, & undique aliquid decerpens quod tamquam cumulus ejus in Eccleſiam eamdem meritis accedat: ac vereor ne iſta in Philippum cudatur faba. Gordianus ejus nominis III. Miſitheum ſocerum virum multo praeſtantiſſimum Praetorio Praefectum, cujus filiam duxerat, patris prope loco maximopere diligebat colebatque, ejuſque conſilio & ope Rempublicam adminiſtrabat. Hujus necem Philippus molitus dicitur quo ad ejus dignitatis faſtigium eveheretur, viamque ſibi ad regnum ſcelere muniret; ut ex Capitolino intelligimus. *Miſitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi qui poſt eum Praefectus Praetorio eſt factus, ut alii, morbo extinctus eſt, herede Romana Republica, ut quidquid ejus fuerat vectigalibus Urbis accederet.* Qualis & quantus vir fuerit Miſitheus, qui optimos quoſvis, quotquot unquam fuerunt, Principum adminiſtros antecelluit, diſcimus ex eodem ſcriptore; atque hinc conjicimus ingentis malorum Iliadis originem ex Philippi ambitu, ac fraudibus repetendam: *Amabatur ab omnibus quod ſic, & Rempublicam amaret, & Principem. Tribuni eum, & Duces uſque adeo timuerunt, & amaverunt, ut neque vellent peccare, neque ulla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuiſſe fertur, atque ob hoc inſidias ejus vitae paraſſe.* Video diſpares Miſithei, & Philippi mores, neque huic cum integerrimo viro convenire potuiſſe; ac peſſime doleo ſublatum tam flagitioſe Gordiani, & Imperii praeſidium.

XX. Quid vero attinet Gordiani adoleſcentis, Principis ſpectatiſſimi caedem omnibus deteſtatam perſequi? Philippus Praetorio Praefectus *ſtatim* inquit Capitolinus *Gordiano, qui eum in locum parentis adſciverat, inſidias per milites fecit*, naves frumentariae tum averſae Arabis noſtri artibus fraudibuſque pluſquam Pelaſgis, & in ea loca deduci milites, in quibus annonae caritate laborarent, & Gordiano infeſti novis rebus ſtuderent, praeſentique morte ad ſupplicium repoſcerent: *Ita Philippus impie non jure obtinuit imperium.* Valeat igitur Huetius cum donis ſuis; valeant qui conſimilia ſentiunt, dum malorum incentorem, & optimi Imperatoris proditorem, tamquam eo tempore Chriſtianum Eccleſiae largitur; nec dubito quin quatiatur foras cum donis ſuis ab iis, qui Romae potius ſacris noſtris initiatos Philippos cenſent. Sed jam alii quoque vident quam difficili, & ſcopuloſo in loco

loco verſentur ob Anni Secularis profana Sacra, & Alexandrinum latrocinium, poſtremo Imperii eorum tempore. Quod ad me pertinet arbitror parentem jacuiſſe diu in compluriumi graviſſimorum ſcelerum ſordibus, & utrumque Auguſtum Ethnica lue ſemper infectum fuiſſe. Scilicet AEthiopem lavant eorum propugnatores, quique illis ſtudent improbo labore operam ludunt, & Augiae ſtabulum repurgant.

CAPUT VII.

De Philipporum Augg. Nummis.

I. CElebratum a Philippo Secularem Annum, ab Urbe Roma Condita Milleſimum, unius Claudii exemplo qui idem praeſtitit Anno U. C. Octingenteſimo, conſtare puto; neque ea de re manus cum ullo jam conferendae videntur. Illud praeterea, quantum conjectura aſſequi poſſumus, veriſimillimum arbitramur, nihil in peragendis ſacris, edendiſque ludis immutatum; quod cum alia jam prolata, tum vero Nummi etiam ob oculos ponunt, laudanturque a Baronio, Pagio, Angelonio, Mediobarbo, Spanhemio, ceteriſque rei nummariae peritis. Viſitur nummus exhibens averſa parte templum quatuor columnarum cum ara, circa quam quinque adſtant rem ſacram facientes, cum epigraphe SAECULUM NOVUM. Alius producitur cum Tab.7. Fig. 2.
ſeptem ſacrificantibus iiſdem verbis adſcriptis SAECULUM NOVUM. (*a*) In Philippi ſenioris nummo apud Mediobarbum conſpicitur ſacrificans ad aram cum Inſcriptione P. M. TR. P. IIII. COS. P.P. Anno autem Chriſti 247. Menſe Martio, quartum Tribunitiae Poteſtatis annum iniit. Baronius nummum Philippi junioris memorat, in cujus poſtica legitur MILIARIUM SAECULUM, & COS. II. in columna; viſiturque Philip-

(*a*) Proferri poteſt nummus integerrimus ex iis, quos vocant maximi moduli, ex duobus metallis conflatus flavo, atque rubro, qui cum trecentis aliis ex locupletiſſimo Muſeo Eminentiſſimi Cardinalis Alexandri Albani nuper ad ditandam, exornandamque Vaticanam Bibliothecam Clementis XII. P.M. munificentia translatus eſt. Exhibet hic utrumque Philippum, Patrem, atque Filium in aditu templi ornatiſſimi octo columnis ſuffulti ſacra peragentes, tibicine, popa, & victimario adſtantibus, biniſque aliis ſuperſtitioſi cultus adminiſtris cum epigraphe circumſcripta SAECULUM NOVUM. Habes in hoc nummo incorruptum teſtem ethnicae religionis Philipporum, eo pluris faciendum, quod non ex eo genere nummorum eſt, qui cuſi ſunt Conſulto Senatus, uti ſunt aerei omnes primae, & ſecundae formae, ſed ex eorum maximorum numiſmatum genere, quae unius Imperatoris juſſu, & auctoritate cuſa aulicis, amicis, & primoribus tantum ex Senatu in teſſeram ſpecialis benevolentiae interdum diſtribuebantur. *Tab. 7. Fig. ultima.* Tab. VII. Fig. 11.

lippus idem virga templi aditum innuens. Exiſtimat quidem Baronius nova ſacra, Chriſtiana videlicet, novo ſeculo illic deſignari, cum aedes potius Palatina demonſtretur Apollini ſacra, & in quam Zoſimo teſte ſe conferentes ter novem illuſtres pueri atque puellae, hymnos paeanaſque canebant Anno Seculari, ſua Numina celebrantes, & opem ab illis petentes, ut ex carmine ſeculari ab Horatio eleganter concinnato patet.

II. Ad ludos ſeculares revocantur alii Philipporum nummi, apud eumdem Mediobarbum. In averſa parte quinque nummorum haec leguntur:

Tab. 7. Fig. 4. 5. &c.

SAECULARES. AUGG. I. cum leone.
SAECULARES. AUGG. II. cum lupa, Romulo & Remo.
SAECULARES. AUGG. V. cum cervo.
SAECULARES. AUGG. VI. cum hyaena.
SAECULARES. AUGG. X. cum panthera.

Leones, hyaenae, & *animalia innumera & diverſa* a Gordiano in triumpho Perſico producenda, auctore Capitolino, exhibuit Philippus ludis ſecularibus, quorum variis diebus varia belluarum genera ſpectabantur: nam quamquam trium priorum dierum ſpatio ſacra Ludique principio peragebantur, non dubito quin eodem anno perſaepe ludi, & ſpectacula exhiberentur. Cuſi ſunt hujuſmodi nummi Anno Chr. 248. cum Conſules eſſent Philippus pater III. & filius II. & quidem prioribus menſibus labebatur tunc annus milleſimus Urbis Conditae. Superſunt igitur etiamnum teſtes locupletes (Scriptores ac Nummi) tum magnificentiae, tum ſuperſtitionis Auguſtorum in ſacris Ludiſque celebrandis, traduntque ſibi, conſenſione ſumma, operas mutuas.

III. Longe vero omnium Philippi ſenioris Numiſmatum praeſtantiſſimum videtur celeberrimum illud Apamenſe, de quo elegantem eruditamque Diſſertationem ad Petrum Seguinum concinnavit vir doctiſſimus *Octavius Falconerius* inſcriptam *de Nummo Apamenſi Deucalionei Diluvii*; quibus verbis non tantum nobis negotium faceſſere inſigne illud monumentum oſtendit, quantum nonnulli cenſent. Exhibet Nummus Philippi caput laureatum, ut in ectypo cernitur, cum inſcriptione ΑΥΤ. Κ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΑΥΓ. *Imp. Caeſ. Jul. Philippus Aug.* & in averſa navigium quoddam tetragonon aquis innatans cum duobus intus ſimulacris virili & muliebri, cui velum e capite dependet. Arcae huic potius quam cymbae, vel rati inſidet columba, cum

Tab. 7. Fig. 9.

alia

alia interim ramuſculum unguibus advehens, expanſis alis, volatu arcam petat. Extra arcam duae pariter figurae conſpiciuntur non abſimiles duabus prioribus, quarum virilis muliebrem pone ſequitur. Lemma ita Falconerius legit: ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub M. Aur. Alexandro II. Pontif. Apamenſium*. Ad haec tres in arcae fronte litterae apparent Ν, Ω, Ε, quae eruditorum hominum ingenia torquent, nobiſque a Philipporum patronis objiciuntur, quaſi non tam *Noe* nomen praeferentes, quam cum Noemico cataclyſmo Hiſtoriae Sacrae, Canonicorum Librorum, & ipſius Chriſti Reparatoris noſtri cultum. Tres nummos hujus typi, eoſque aereos & maximos ſe vidiſſe fidem facit idem Falconerius: unum omnium integerrimum, cujus exhibet ectypum in Regiis Etruſcorum Principum cimeliis, alterum apud Cardinalem Petrum Ottobonum, tertium apud Chiſios Farneſii Principes.

IV. Vix quidquam inter Apamenſem hunc Philippi nummum, & Apamenſem alterum Severi Imperatoris intereſt, cujus typum a Seguino ad Franciſcum Gottifredum miſſum exhibet Falconerius. Ibi pariter conſpicua ſunt ſimulacra eadem, columbae, ramus, & arca: ſed Tab. 7. Fig. 10.
praeter Severi nomen circa caput laureatum, in poſtica parte inſculptum eſt illud Agonothetae ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Sub Agonotheta Arte. Magnetum Apamenſium*. Sedulo animadvertendum eſt poſtremas litteras vocis *Magnetum* ΝΗΤΩΝ, cum locus alius nullus reliquus eſſet, in arcae fronte exaratas fuiſſe a caelatore, fere ut *Noe* ΝΩΕ in Philippi Numiſmate. Sane nullus hactenus ita deſipuit, quamvis non admodum in Hiſtoria vel Auguſta, vel Eccleſiaſtica verſatus, ut Septimium Severum ab Ethnicorum caſtris ad Chriſtiana traduxerit: immo acerrimus ille fuit Chriſti cultorum hoſtis, qui edixit nequis Chriſtianus fieret gravioribus poenis conſtitutis, & in Eccleſiam diuturnum, & cruentum bellum conflavit. Quid igitur? Cum quidquid nummorum e ruderibus profertur nequeat Severum ab Ethnica labe vindicare, Philippus illorum beneficio abſolvetur? *Noe* fortaſſis nomen, quod in Severi Nummis nuſquam comparet, ex arcanis Hebraeorum voluminibus petitum, quanti Moſaicae Legis libros aeſtimaverit Philippus palam facit? Demus litteras illas Patriarchae nomen praeferre, ut liberaliter cum eruditis quibuſdam viris agamus: an quia a ſacra Hebraeorum Hiſtoria, vel aliis Aſiae populis, & monumentis Apamenſes eluvionem orbis, & nomen vetuſtiſſimi ac celeberrimi viri omnium qui conſequuti ſunt hominum parentis,

 mu-

mutuati ſunt, Apamenſes & Imperator, cujus nummum percuſſerunt, continuo ſacra noſtra amplexati fuiſſe dicendi ſunt? Nihil minus. Non ergo palmare hinc argumentum nos urget, nec propterea de ſententia decedimus aliquid nobis a nummo hoc metuentes.

V. Harduinus in *Nummis antiquis populorum, & urbium illuſtratis* Severi nummum profert vix diverſum cum epigraphe circa arcam *ſub Agonotheta Artema tertium*, *Apamenſium Neocorωn*; ſugillatque antiquitatis peritos dum inſculptum videre ſibi videntur Deucalioneum cataclyſmum. Haec autem eſt illius ſententia: unam ſignificari pacem Principis beneficio partam qua fruerentur Apamenſes Phryges: Apameam Phrygiae vocatam Arcam, & quandoque *Celaenas*, & idcirco inſidentem corvum, ejus ob nigrorem ſymbolum eſſe; columbam oleae ramum praeferre pacis nuntiam, & aquis innatare navigium, quod urbs variis fluminibus allueretur, Marſya, Obrima, Orga: denique marem & feminam in arca cives eſſe, extra illam, Auguſtum & Auguſtam. Ita vir ingenio minime retuſo, niſi ſomnia ſua nobis venditat, nodum ſolvit. Plinius reipſa L. 5. de Phrygia Apamea haec habet: *Tertius conventus Apamiam vadit ante appellatam Celaenas, dein Ciboton. Sita eſt in radice montis Signiae, circumfuſa Marſya, Obrima, Orga fluminibus in Maeandrum cadentibus*. Cibotos *κιβωτὸς* Graecis, nobis eſt *arca*. Subdit porro vir peracutus, Aſianos, Apamenſes cum primis, pace donatos devictis a Severo Perſis; & in ſimili Philippi nummo legi *pace* fundata cum Perſis.

VI. Nec tantum ex Nummis Severianis, Apamenſium eluvionem praeferentibus intelligimus nihil illinc extundi poſſe pro vindicanda Imperatorum Religione; verum ſuſpicatur etiam Phil. Bonarota Senator Clariſſimus, maximum Florentiae noſtrae atque adeo Etruriae, & Italiae totius ornamentum, in Nummis maximi moduli Romae editis An. 1698. pag. 303. litteras illas in Arca inſculptas, & longinquitate temporis detritas, fucum pleriſque feciſſe. Animadvertit Apameam Phrygiae primariam urbem ob conventus opeſque celebrem, vocatam etiam Celaenas a vetuſtiori urbe circa Maeandri fontes quondam florente, & jamdiu exciſa; ac praeterea *Cibotos*, vel quod fluminibus undique circumdata foret, vel quod Marſyas fluvius ita dictus ſit fortaſſe ob Apamenſis agri ubertatem aquis alluentibus acceptam referendam. Sane in Numiſmate Regis Galliarum legitur ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡϹΙΑϹ ΚΙΒΩΤΟΣ *Apamenſium Marſyas Cibotus*, vel *Arca*. Hanc autem Phrygiae urbem foedus quoddam iniiſſe cum Magnetibus Aſianis tantum

tum non finitimis, qui ex Theſſalia in Aſiam migraverant, ex Nummo Severi patere putat, in quo Magnetum nomen exhibetur: atque illinc factum ut Deucalioneus in Theſſalia cataclyſmus ſpectaretur cum Magnetum nomine. Cum vero cataclyſmus idem haberetur etiam in Philippi Numiſmate Apamenſi cum litteris illis ΝΗΤΩΝ prae vetuſtate pene extritis, nonnulli ſibi viſi ſunt *Noe* inſculptum videre. Itaque Apameae Phrygiae ſcalptum eſt Numiſma Philippeum, fruſtraque nituntur *Noe* illic quidem detegere, cujus nomen nuſpiam extet. Ceterum vox ΝΩΕ extrema pars eſt Apameωn ſi legatur ſiniſtrorſum, Orientalium more ΝΩΕΜΑΠΑ, ut obſervat Falconerius, qui id tamen minime probat.

VII. Tam Bonarota in eodem Opere agens *de Nummis Maximis Muſei Carpinei*, quam Falconerius ad calcem eruditae Diſſertationis *de Nummo Apamenſi*, aliud exhibent Numiſma Philippi junioris Apameae eodem anno percuſſum praeferens non obſcura Ethnicorum ſacrorum veſtigia, nequis adhuc Noemicam eluvionem praetexens, Philippos crimine ſuperſtitionis, & Idololatriae abſolvendos pugnet. Cernitur in averſa ejus parte leo affabre inſculptus, & thyrſus erectus, concinneque lemniſcis vinctus, ſupra quem extat veluti aedicula, quam myſticam Bacchi ciſtam uterque conjiciunt eſſe: haec vero leguntur ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥΓ. *Imp. Caeſ. M. Jul. Philippus Aug.* & circa leonem ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Β ΒΕ ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ *ſub M. Aur. Alexandro iterum praeſtantiſſimo Pontif. Apamenſium*. En eumdem prorſus M. Aurelium Alexandrum iterum Pontificem Apamenſium, eadem Philipporum aetate, eodem anno: ſed loco Sacrae Moſis Hiſtoriae & *Noemici Diluvii*, thyrſi comparent, ciſtae, leones, ac ipſa fere Bacchi orgia, magna utique rerum converſione facta. An autem ciſta ea ſit quam Eurypylus Trojani excidii tempore abreptam Patras detulit, ſervatamque cum Bacchi ſimulacro illius incolae maximopere coluerunt, non vero alia Myſteriorum recluſa, ſerpente ex ea prodeunte, viris harumce rerum gnaris dijudicandum relinquo; cum, utut haec ſe habeant, eruditi illi rei nummariae, & mythologicae cultores ad Bacchum omnia haec revocent.

VIII. Nihil propterea eſt quod nos a ſententia deterreat; nam qui Muſea virorum Principum luſtrarunt, veteres hiſtoricos mythologoſque evolverunt, & eruditae antiquitatis monumentis impalluerunt, cum tam acutum cernerent quam aquila aut ſerpens Epidaurius, & cornicum oculos configere noſſent, nihil quod Philippos Chriſtianos

 pro-

prodat heic vident. Erit fortaſſe unus vel alter qui de Phlippis ob Nummos ſubdubitet : ſed neque probandum continuo quod fricti ciceris emtor probat; neque Septimius Severus verae Religioni nomen dedit, quam odio pluſquam Vatiniano excindere moliebatur; neque Chriſtianis fas eſt Noemum cum Deucalione & Baccho, arcam cum ciſta, & Moſaicum cataclyſmum cum Theſſalico componere, eodem prorſus tempore, in eadem urbe, ſub iiſdem Orientalibus Pontificibus & Romanis Imperatoribus. Quoniam vero, ut identidem monuimus elumbe eſt & ficulneum quidquid illinc petitur, deſcendamus ultro in Falconerii ſententiam arbitrantis Philippi Nummum NOE praeferre, & Apameae in Syria excuſum fuiſſe. Quid tum? Nil vetat credere id genus Numiſmata percuſſa eſſe ab illis civitatibus, quae tametſi Idololatria laborabant, traditum a majoribus acceperant, vel ex Hebraeorum libris atque Sermonibus reſcire potuerant, Noemi aetate maxima imbrium procellarumque vi orbem demerſum, deletumque fere hominum genus, poenas ſcelerum Numine repoſcente.

IX. Quid ſi Apamenſes vel Philippi Augg. Noemum plurimi feciſſent, ejus ſanctitatem vitamque integerrimam a ſcelere puram ſuſpicientes, cum ceteri homines flagitioſiſſime viverent, ut facile ex Hebraeis intelligere poterant? An idcirco Apamenſes, vel Philippi Chriſtiani? Nonne Alexander Imperator Idololatra convicio dictus eſt *Archiſynagogus* ab Alexandrinis & Antiochenis, nonne Chriſtum atque Abrahamum coluit, eorumque imagines habuit in larario? Syrum Imperatorem fugere non debuit Abrahamus apud Syros celeberrimus, maxime cum ea tempeſtate tum in Syria, tum in toto qua late patet orbe, innumerabilis degeret multitudo Judaeorum & Chriſtianorum. Verum nec Arabes Philippi Syris finitimi ignorabant quod de cataclyſmo ferebatur; potuitque non minus ab illis coli Noe quam Abrahamus ab Alexandro. Cum arca, detumeſcentibus aquis requieverit, ut vulgatus interpres Pentateuchi vertit, *ſuper montes Armeniae* (Geneſ. cap.8. v.4.) oportuit ut in finitimis regionibus aliiſque non admodum diſſitis in Aſia, apud Syros, Phrygas, Arabas, tantae rei extiterint monumenta; nec omnis memoria obliterari potuit : maxime quod Syris & Arabibus in pleriſque propter regionum propinquitatem, inter ſe, & cum Armeniis quoque conveniat, Strabone monente L.1. *Armeniorum, Syrorum & Arabum gentes multum praeſeferunt cognationis ſermone, vita, & corporum forma*. Armeniae nomen nuſquam in veteris Teſtamenti libris occurrit, & allato Geneſeos loco He-

Hebraice ſcriptum eſt *Ararat* אררט quod Chaldaei paraphraſtes interpretantur *Kardu* vel *Kadrun* niſi ea metatheſis Scriptoris alicujus vitio contigerit טורי קרדו ut Targum Onkeloſi, montes *Kardu*, vel טורי קדרון montes *Kadrun*, ut Targum Jonathanis vocatum. Arabs interpres habet *Carda*; alii *Corduenos* montes, vel *Cordyenos* verterunt, *Gordios* videlicet, vel *Gordiaeos* ad *Armeniam* ſpectantes, ut recte vulgatus; & Alcimus Avitus L.4.

Armeniae celſis inſtabat montibus arca.

Septuaginta interpretes Geneſeos verba ita reddunt τὰ ὄρη τὰ Ἀραρὰτ; ipſis autem Ararat eſt Armenia: Iſaiae enim cap.37. ubi ſcriptum eſt *in terram Ararat* Graece habetur εἰς Ἀρμενίαν: atque ex Beroſo etiam Chaldaeo, apud Fl. Joſephum L.10. Antiq. cap.2. patet de Armenia loqui ſacrum vatem. Fuſius haec perſequuntur *Auguſtinus Calmetus* in caput 4. Geneſeos, *Samuel Bochartus* L.1. Geographiae Sacrae, cap.1.. & *Chriſtophorus Cellarius* L.III. cap.x1. Geographiae Antiquae.

X. Nemo tam hoſpes eſt in Hiſtoria quem praetereat, pleraque Deucalioneo Ethnicorum cataclyſmo communia eſſe cum Noemico Hebraeorum. Porro haec ab Hebraeis illos accepiſſe, ut alia non pauca, pluribuſque adſcitis fabulis depravaſſe ſatius eſt credere. Veriſimile autem non eſt, ſi ſemel rem mutuati ſunt eamque litteris commendarunt, nomen viri ſanctiſſimi animo omnibus excidiſſe, maxime Syris, eumdemque Noe atque Deucalionem, Pyrrham, & Patriarchae uxorem exiſtimaſſe. Diſertum ea de re teſtimonium Theophili Antiocheni L.3. ad Autolycum laudat Falconerius, ubi etymologicam nominis rationem ab Hiſtoria Sacra arceſſit *Noe mortalibus Diluvium praedixit hortans, venite, Deus ad poenitentiam vos vocat: inde proprie Deucalion dictus eſt*: διὸ οἰκείως Δευκαλίων ἐκλήθη a vocando ἀπὸ τοῦ καλεῖν Juſtinus quoque M. Apolog.1. Diluvium & Noe memorans ait *apud nos cognominatum Noe, apud vos autem Deucalionem* παρ' ἡμῖν καλούμενον Νῶε, παρ' ὑμῖν δὲ Δευκαλίωνα, quibus accedit Judaeorum diſertiſſimus Philo L. de praem. & poen. *Hunc Graeci Deucalionem, Chaldaei Noe nominant, cujus aetate ingens Diluvium accidit*: τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπωνομάζουσιν. κ. τ. λ. Quo fit ut Syri Pagani Chaldaeorum Hebraeorumve nomina uſurpantes, nihil eam ob cauſam a ſuis placitis ſtrophiſque deſciſcant.

XI. Recte doctiſſimus Falconerius, ex ejus enim praeſtanti Diſſertatio-

tatione, quam identidem laudamus, plura decerpimus, monet Hebraicarum Antiquitatum veſtigia ſuperfuiſſe in Hiſtoriis Phoenicum, Syrorum, Chaldaeorumque ex Joſepho L. 1. adverſ. Ap. provocante ad commentarios Theophili, Theodoti, Mnaſeae, Ariſtophanis, Hermogenis, Evhemeri, Cononis, Zopyrionis: meminiſſe quoque Noemici Diluvii, ex eodem Joſepho L. 1. Antiqu. c.4. Beroſum, Hieronymum AEgyptium, & Nicolaum Damaſcenum. Euſebius praeterea Caeſareenſis de Praepar. Evangelica L. 9. c. 19. profert Abydenum atque Melonem, ut oſtendat ignotum non fuiſſe Diluvium Medis, & Aſſyriis Scriptoribus: uterque vero Armeniae meminerunt, & Abydenus etiam avium emiſſarum, ut explorarent an adhuc terra ex undis emergere coepiſſet. Commodum cadit Plutarchi teſtimonium ex Lib. de Solert. *Sane qui fabulas narrant, ii columbam ajunt ex arca emiſſam Deucalioni certum indicium dediſſe tempeſtatis cum rurſus ingrederetur, ſerenitatis cum avolaſſet.*

XII. Si qui ſuperſunt Philipporum cauſam acturi, & praeclaro illo eluvionis monumento moleſtiam nobis exhibere pergunt, adeant Lucianum, & e Syntagmate de *Dea Syria* ab impio homine exarato diſcant quam facile Syri multa noſcere de Noemico cataclyſmo poſſent, quem a Deucalioneo diverſum non exiſtimabant; & herbam tandem porrigant: *Deucalion autem ſolus hominum relictus eſt in ſecundam generationem prudentiae & pietatis gratia: ſervatus autem fuit hoc pacto. Magnam quamdam Arcam* λάρνακα μεγάλην, *quam ipſe habebat, liberis & uxore in eam impoſitis, conſcendit. Ingredientem ſecuti ſunt apri, equi, leones, ſerpentes, & alia quaecumque in terra paſcuntur, bina cuncta. Quae omnia excepit nec ipſum laedebant; ſed magna inter eos Divinitus erat concordia: unaque in Arca omnes navigarunt, quamdiu aqua ſuperavit.* Dubitare an Ethnici fabulatores haec a Chriſtianis vel Judaeis mutuo acceperint idem eſt ac ſoli tenebras offundere. Quid? quod Nicolaus Damaſcenus Syrus Scriptor de Diluvio agens Moſem ipſum memorat Judaeorum Prophetam. Ejus laciniam ex Libro 96. adtexuit Joſephus L. 1. ἀρχαιολογ cap. 4. *Eſt ſuper regionem Minyarum magnus mons in Armenia nomine Baris, in quo multos profugos Diluvii tempore ſervatos ferunt, & quemdam Arca vectum in hujus vertice haeſiſſe, ac reliquias lignorum ejus longo tempore duraviſſe; qui fortaſſe is fuit de quo etiam Moſes ſcribit Judaeorum legislator.*


XIII. Itaque Ethnici Sacram Moſis Hiſtoriam interpolantes alloque

que detorquentes, Deucalioneum Diluvium exhibent non admodum a Noemico diverſum, eumdemque putant Deucalionem ſuum & Moſaicum Noe. Parvi autem refert utri Apamenſes, Syri an Phryges Nummum Philippeum percuſſerint, liceatque Cl. viris Bonarotae & Falconerio manus conſerere: ad utroſque enim ab Armenia, ex Judaeorum Chriſtianorumque monumentis atque ſermonibus Noemici cataclyſmi fama potuit permanare; modo nihil illinc exculpatur pro aſſerenda Philippis Augg. Chriſtiana Religione. Nil mirum autem ſomniaſſe quoſdam Arcae adpulſum ad Theſſaliae montes, indeque ortum Parnaſſi nomen quaſi *Parnaſſus* initio vocaretur *Larnaſſus*, Stephano dicente, ob Arcam λάρνακα dictam: rerum enim primordia auguſtiora vulgo populi faciunt, daturque antiquitati haec venia. Ne illud quidem ad vivum reſecare operae pretium fuerit num Apamea Phrygiae ab eadem Noemica Arca nomen arceſſat, dicta *Cibotos*: ſed imponit nobis Sibyllinorum Oraculorum maleferiatus artifex, dum ob appellationem ejuſmodi nugatur Lib. 1. Arcam ad Phrygiae montes appuliſſe prope Marſyam amnem. At diu hoc ſaxum volvimus: dejecti ſunt ex hac arce Philipporum propugnatores; atque haud ſcio quo pateat effugium. In arenam deſcenderunt, optimis quae afferre poterant inſtructi telis; ac vidimus plumbeum pugionem eſſe quod validius arbitrabantur. Actum eſt de Chriſtiana Arabum noſtrorum Religione; conclamatum eſt, nec niſi injuria nobiſcum de iniquiore judicio expoſtulent: neque enim levibus conjecturis ducti eorum opinionem vindiciaſque rejecimus, aegre ferentes nobilem palmam praeripi Magno Conſtantino Chriſtianorum Auguſtorum primo, optime de Eccleſia merito. Nemo porro miretur ſilentio a nobis praeteritum fuiſſe monumentum illud non aereum, ſed vitreum Ciampinii in *Diſquiſitione de duobus Emblematibus Carpineis*, quamvis hanc praeferat epigraphen A SECULARE BENEDICTE PIE Z. Damus Chriſtianae, ac ſi lubet, ultimae fere antiquitatis, & Seculi III. monumentum id eſſe: eſto etiam Secularis Anni Philippei. Quid tum? Nil illic de Philippo Chriſtiano Auguſto: ac tam facile potuit Ill. Ciampinus revocare ejuſmodi vitrum ad Chriſtiana ſacra quibus initiatus fuerit Imperator Anno Seculari; quam alii contendere Chriſtianos execratos impia ſacrificia & ſpectacula illius temporis, Annum Secularem alia porſus ratione peregiſſe, ab Ethnicorum Principum, populique ritu longe diverſa. Itaque tempus ea in re terere minime oportuit.

FINIS.

BIBLIOTECA

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Tab II



Tab IV



BIBLIOTECA

Digitized by Google

Tabula Ancyrana ſecunda à lævâ.

PATRITIORVM . NVMERVM . AVXI . CONSVL . QVINTVM . IVSSV . POPVLI . ET . SENATVS . SENA
TVM. TER. LEGI. ET. IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM . POPVLI . CONLEGA. M. AGRIPPA. EGI
LVSTRVM . POST . ANNVM . ALTERVM . ET . QVADRAGENSIMVM . FECI . QVO . LVSTRO . CIVI
VM . ROMANORVM . CENSA . SVNT . CAPITA . QVADRAGIENS . CENTVM . MILLIA . ET
SEXAGINTA . TRIA . MILLIA . *Alterum* . CONSVLARI . CVM . IMPERIO . LVSTRVM
cenſumque SOLVS . FECI . CENSORINO *et* ASINIO . COS . QVO . LVSTRO . CENSA . SVNT
CIVIVM . ROMANORVM . *capita* QVADRAGIENS . CENTVM . MILLIA . ET . DVCEN
TA . TRIGINTA . TRIA . *millia* . *Tertium* . CONSVLARI . CVM . IMPERIO . LVSTRVM
CONLEGA . TIB . CA*eſare feci* SEX . POMPEIO . ET . SEX . APPVLEIO . COS .
QVO . LVSTRO . ET*iam cenſa ſunt R*OMANORVM . CAPITVM . QVADRAGIENS .
CENTVM . MI*llia tr*IGINTA . ET . SEPTEM . MILLIA
LEGIBVS . NOVIS *latis* EXEMPLA . MAIORVM . EXOLESCENTIA . *revocavi, et fugientia*
IAM . EX . NOS*tro conſpectu* AVITARVM . RERVM . EXEMPLA . IMITANDA . *propoſui7*
. . . . . . ATVS . ET . SACERDOTES . . . .
. . . . . . V . TIS . . . . EFEC . . . .
. . . . . . QVATTVOR . AMPLISSIMA . COLLE*gia*
. . . . . . MPEIAM . ET . MVNICIPI . . . M . VNI
. . . . . . APVD . OMNIA . PVLVINARIA . PRO . VALE*tudine*
. . . . . . VSVM . EST . IN . SALIARE . CARMEN . ET . SACROSAN
. . . . . . VO . . . EREA . . . TRIBVNICIA . POTESTAS . MIHI
. . . . . . MVS . . . ITER . M . IN . . . .
populo SACERDOTIVM . DEFERENTE . MIHI . QVOD . PATER . MEVS . *procuravit*
ſuſcepi id SACERDOTIVM . ALIQVOD . POST . ANNOS EO . MOR*tuo qui poſt patrem*
meum illud PROC*VRAVERAT* . CVNCTA . EX . ITALIA . . . . . .
. . . . . *vale*TVDINE . QVANTA . ROMAE . NVN*quam* . . . . . .
. . . . *P. Sul*PICIO . C . VALGIO . CONSVLIBVS . . . .
. . . . *ae*DIS . HONORIS . ET . VIRTVTIS . AD . *memo*RIAM
. . . . *ſe*NATVS . CONSACRAVIT . IN . QVA . PON . . . . . .
. . . . *a*NNIVERSARIVM . SACRIFICIVM . FACERE . . . . . .
. . . . R . . . T . . . IN . VRBEM . EX . . . .
. . . . . AVIT . . . .
. . . . . PARS . . . .
. . . . . . ET . PRIN . . . . . . A . MIHI
. . . . . . ONOS . . . . . RAE . . . .
. *res in Hiſpa*NIA . GAL*liaque pro*VINCIIS . PROS*pere* . . . . .
. . . . . NEP . QV . . . . . ARAM . . . .
. . . . . *pro* REDITV . MEO . CO*nſacrari ut* AD . EAM . . . . .
. . . . . MAGISTRATVS . ET . SAC . . . .
. . . . . IVM . . C . . P . . . .
. . . . . CVSSVM . ESS . . . .
. . . . *pe*R . TOTVM . *Imperium* POPVLI . ROMANI . *parta eſt terra*
marique pax . CVM*que a condita urbe* . IANVM *Qui*RINVM BIS . OMNINO . CLAVSVM
*fuiſ*SE PRODATVR . EVM . *Senatus* PER . ME . PRINCIPEM . *ter* CLAVDENDVM . ESSE . *juſſit7*
*Inter fi*LIOS MEOS . QVOS . SINI*ſtra ſors* MIHI . ERIPVIT . EORVM . CAIVM . ET . LVCIVM . CAESAR
ES . . . .


Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. V.



Digitized by Google


DOMITIAN. AVG. GER. COS. X.
COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC.
S. C.
GALLVS AVG
SAECVLVM NOVVM
CONSECRATIO
S C
PROVIDENT
ROM. ET. AVG.
NITATIS
S. P. Q. R.
IVLIAE AVGVST
DIVVS CAESAR. IMP. DOMITIAN.

Tab. VI.

Digitized by Google

Tab. VII.



Digitized by Google

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

14. C. 34

Digitized by Google